# DE VNIVERSALI ET NOVISSIMA IVDÆORVM VOCATIONE, SECVNDVM Apertiſſimam Divi Pauli prophetiam, in vltimis hiſce diebus præſtanda Liber vnus.

*Vbi demonſtratur, tum quem in modum* illius gentis converſio expectanda ſit, tum quid eam maximè adhuc impediat & remoretur, & alia explicantur quæ ad huius rei cognitionem neceſſaria videri poſſint.

By A. Willet

Rom. 11.25. *Volo vt ſciatis frates mei, myſterium hoc, quod charitas cordis ex parte aliqua facta fuit Iſraeli, donec ingrediatur plenitudo gentium.*

26. *Et tunc univerſus Iſrael ſervabitur, ſicut ſcriptum eſt, &c.*

*Ex officina Iohannis Legati Cantabrigienſis Typographi.* 1590.

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

NOV 11 1944

# ILLVSTRISSIMO VIRO, D. GVLIELMO

CECILIO, Domino de Burgley, Regineæ Maieſtati ab intimis conſilijs, totius Angliæ Theſaurario ſummo, Cantabrigienſis Academiæ Cancellario digniſſimo, & ſtudioſorum omnium *Mæcenati optimo*, A. W. *præmiſſa, quam tanto viro decet, ſalutatione*, præfatur ad librum.

* * *

*QVID me impulerit* (Honoratiſſime Vir) *vt tuo nomine has lucubrationes meas inſciberem, ſilentio certo conſilio prætereo, tum, quia vulgaris illa eſt præfandi ratio, qua lubens ad grauitatem tuam ſcribens, vti nollem, partim quòd maior eſt meritorum tuorum in omnes ſtudioſos, & iucundior apud me recordatio, quàm quæ poſſint brevi oratiuncula perſtringi, atque etiam quia hominis verecundi eſt, omnem vel aſſentandi ſuſpicionem devitare, quæ blando fortaſſis verborum prætextu pareretur. Sed ne tibi mirum videatur, aut ego adulationis crimen meritò incurrerem, à quo tam longè me abeſſe ſcio, vt homo iam planus, & prenſandi ignarus, & alijs videar, & meo iudicio ſim: ne (inquam) ſuſpicione non careat, quòd tuum honorem ſcriptis meis interpellare perrexerim, cui vix notus de facie fuerim, noverit dignitas tua rationem animi meum huc impuliſſe duplicem. Quo enim gens noſtra Anglorum florentiſſ. hæc & pacis ſuæ conſeruatore prudentiſſ. & religionis propugnatore fortiß. freta iam diu ſit (frui & amplius vtinam poſſit) in cuius laudes omnium ſtylos & calamos aeui & aptari oportuit, inſalutatum à me prætereundum non cenſui. Cum porrò tota ſtudioſorum Academiæ Cantabrigienſ. Univerſitas tibi multis beneficijs non paucos annos devinctiſſ. fuerit, ſub cuius tutela & patrocinio, & florent ſtudia noſtra, & augentur res (in quo numero, me licet poſtremum, aliquo tamen in loco cenſeri geſtio) Iſtorum omnium nomine (quod & alij multò fælicius aggreſſi ſunt antehac) & meo etiam, cuius cauſa iam agitur inter reliquos, gratam tibi voluntatem noſtram, hoc novo edito ſymbolo teſtificari non dubitamus. Scripſi itaq;* (Digniſſime Vir) *ne longior ſim in exordio, aut per ambages te ducerem a quo gravitas tua abborret, brevitatis amans. ſcripſi de Iudæorum vocatione, quem titulum operi iſti præfixi: res eſt explicatu difficilis, ſcopo-*

*tamen certa & ſtabilis, digniſſima, quæ penitus pernoſcatur. Vires meas multùm ſuperat, lubens id fateor, & hominem requirit iudicio confirmatum, & lectione multùm exercitatum: Feci tamen id, quod qui digladiandi & bacillis ludendi ſtudio ducuntur, ſolent, qui ſemper audendo aliquid addiſcunt, & inermes ſe protrudunt & obyciunt ictibus, vt cautiores & tutiores euadant: & vt mos diſcipulorum ſolertium eſt, qui difficilia & ardua tentant, vt nihil eos, quod inter legendum occurrat, fugere poſſit. Ita ego me intromiſi in tam grauem controuerſiam, vt experiundo obtinerem illud, quod ſubverendo amitterem, & docendo, quod ipſe neſciam, diſcam tamen, quod ſcire cupiam: Et dum iſta ſeriò meditor, mihi occurſat illud* Auguſtini, *quo mirificè me oblecto:* Non piget me *(inquit)* ſicubi hæſito, quærere, nec pudet, ſicubi erro, diſcere, prouidè quiſquis hæc legat, vbi pariter certus eſt, pergat mecum, vbi paritèr hęſitat, quærat mecum, vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, vbi meum, reuocet me. *Atque illud etiam eiuſdem patris amplector, vbi ait,* Cui iſte quærendi modus non placet, ſi me poteſt docere, non abnuat, ſi non poteſt, a quo ambo diſcamus, mecum requirat. *Sed ne (dum iſta defenſionis loco affero) tanta interim obſcuritate præſens involuta queſtio, aut difficultate præpedita videatur, vt & mihi audaciæ nota imprimeretur, qui eam tentare cœperim, aut lectori inyceretur ſcrupulus, qui eum vel ab ipſo limine inſtituti noſtri abſterreret, vtriq; incommodo primò occurrendum eſt. Quæ igitur ante initiò difficilia putabantur, ad ea rerum euentus & exitus poſt aditum patefacit, & quæ antiquitus obſcura & ambigua viſa ſunt, temporis continua ſeries, quæ & ipſa veritatis mater eſt, in lucem protrudit. Prophetia reverà omnis, qualis iſta Paulina eſt de* Iudæis, *cum primò veluti cælitus demiſſa in vulgus exyt, tam diuino artificio, vel ſpiritus potius inſtinctu contexta & diſpoſita eſt, vt licet prædictio certa de futuris extaret, interim tamen hominum animi ſuſpenſi tenebantur, vt & ſpem bonam conciperent de rerum euentu certiores facti, & cum reuerentia & tremore expectarent, donec Prophetia impleretur. Quo verò propinquius accedit, & nos propius illud tempus ſalutarit, quod rei præmonſtratæ deſtinatum & præfinitum fuit, eo maiori euidentia & perſpicuitate veritas è tenebris vindicata in altum emergit. Nam quemadmodum Sol ad Orientem recurrens, obſcurè primò ſerpit, et abdit ſe, quamdiù diluculum eſt, poſt altius ſcandit, & exerit caput, aurora iam inſtante: ſicut etiam arboribus accidit in ferendis fructibus, quæ folys primò veſtiuntur, quæ tanquam ſigna præcurrunt feracitatem conſequuturam præmonſtrantia, cùm verò pullulare & germinare cæperint, feſtinare iam & accelerare fructus colligendi tempus, certò innoteſcit: Ita ſe res habet in abſcondita & occulta futurorum divinatione, nam quo viciniores illi tempeſtati ſumus, de qua prædictiones præceſſerunt, eò facilior & expeditior via ſternitur ad prophetiæ myſterium eruendum. Judæorum ergo converſio, primis licet temporibus, res ardua, miraculi inſtar & difficultatis plena viſa ſit, ſive ad gentium multitudinem reſpiceres, quæ Iudæorum loco in corpus Eccleſiæ inſita erant, ſive ad ipſos Judæos oculos converteres, quorum cordibus callum indies obductum fuit: Nunc tamen quid prohibet, cum in extrema tempora incidimus, nec longè ab ipſo vltimo ſeculi fine abeſſe poſſumus, quo minus certiſſima expectatione Iudaicæ gentis vocationem præſtolaremur. Duo tantùm ſunt, quæ ſententiæ noſtræ adverſentur, & animum huc advertentem detinere poſſint. Vnum eſt, qua ratione penitùs id perſuaſum eſſet, iterandam eſſe Iudæorum vocationem, & ſi de eo convenit, alterum ſequitur, cuinam eam ſeculo reſervatam oportuit. Iſti ſi ſolvantur nodi, non eſt, cur alicubi præterea heſitemus.*

De trinitat. Lib. 1. Cap. 3.
De Geneſ. Lib. 7. Cap. 28.

*Judæorum*

*Iudæorum ergo ſobolem divinæ promiſſionis participem futuram, ſi aliundè doceri
non potuiſſet, ſatis eſſet ex vno Paulo didiciſſe, cuius locuples & luculentum teſtimoni-
um poſtea inter diſſerendum retexendum erit, qui ad Romanos vndecimo dedita opera
videtur in hoc argumento inſiſtere. Quod ſi aliàs igitur deficeret & concideret defen-
ſio noſtra, hoc vnum ſufficit (vt Divi Petri verba mutuor) habemus firmiſſimum ſer-
monem (Propheticum ille dixit) ego non multùm abs re, Apoſtolicum. Chriſti etiam ſer-
vatoris divina vox in eundem ſenſum ſonat, cum ait, tum vnum erit ovile, vnusq;
Paſtor, quibus verbis Dominus tempus aliquod deſignat, cum Iudæi & gentes in v-
num coeuntes gregem, in Eccleſiæ ſtabula reciperentur. Accommodatiſſima illa etiam
Pauli ſententia eſt de Chriſto, ſic diſſerens: Diſſoluit maceriem, quæ erecta ſtabat in me-
dio. Nempe demolitus eſt parietem, quo à circumciſa gente præputio laborantes diviſi
& disiuncti ſunt. Iſte iam paries dirutus prorſus & ſublatus eſt, vt nos intremus:
Quid ergo moræ erit, quo minus tranſitus à nobis ad Iudæos fiat, è quibus ſalus egreſ-
ſa ad nos pervenit: niſi ad tempus tantùm murum iſtum loco ceſſiſſe putemus, donec
nos veluti per rimas & rupturas intromitteremur, quibus intro receptis partes hiantes
& dehiſcentes tanquam cæmento aut coagulo conglutinarentur: quod cogitandum non
eſt. Cum enim Chriſtus maceriem iſtam perfregerit, & humo æquarit, vt nunquam
deinceps ædificaretur aut ſurgeret, quæ Iudæos à nobis longo intervallo ſeperauit, quid
obſtat cur non etiam æquè Iudæis ingreſſus pateat, vt nobis primò ſui copiam fecerunt.
Propheta Iſaias etiam idem cum Apoſtolo ſentiẽs, licet multò antè, eodem nempe per-
fuſus & permotus ſpiritu, ſic loquitur erit illo tempore (inquit) communis agger quo* Iſa. 19. 23.
*permeent Aegipti ad Aſſyrios, & Aſſyrij ad Egiptios, & Iſraelitarum gens tertia erit
cum illis. Via ergo plana & ſtrata & veluti regia erit, non quæ ducat tantum ad Egip-
tiam vel Aſſyriam, ſed pertingat etiam & extendat ſe ad Iudæam. Non agger iſte
præruptus, aut via præcluſa erit, tanquam ſiquis foribus peſſulum obderet, quà iter ad
Iſraelitas fieret, ſed aperta & patens viatorem ad ſe alliciet & trahet. Id eſt, cùm gen-
tes tùm Aegiptiæ ex poſteris Chami, tum Aſſyria ex familia Iapheth Eccleſiæ adiun-
ctæ fuerint, non illis tantum fores aperientur & excludentur Iudæi, ſed vtriſq; ſimul
ingreſſus patebit. Eodem fere loco Propheta de gentium converſione diſſerens, ea lin-
gua & labijs Cananæis loquuturus dicit, id eſt, non literas callebunt omnes Hæbreas
& Cananæas, ſed oris confeſſione eidem fidei & religioni teſtimonium ferent. Vt ergo* Cap. 19. 19.
*verſimile non eſt, vt patriam Iudæorum linguam peregrinæ & exteræ nationes diſcãt,
& ipſi eiuſdem obliti peregrinos & rudes ſonos edant: ita non credendum eſt, eos cum
gentibus communicaturos profeſſionis ſuæ myſteria, & ſibi ipſis non impertiant.*

*Quis porro non videt mutuam omnium rerum viciſſitudinem eſſe? Nihil enim no-
vi eſt ſub ſole (vt ait Sapiens) ſed id, quod fuit, idem, Quod & futurum eſt. Nam ſol
ſuo curſu cæli ambitum conficiens, ad orientem rurſus feſtinat: ventus veluti in gyrum* Eccleſ. 1.
*& circulum rotatur, ad eandem plagam reverſus, & flumina à mari rurſus abſor-
bentur, è quo guttatim & ſorbillatim ſtillando diminuerunt prius. Ita prorſus & hic
evenit: Olim gentibus terra diſtributa fuit, illæ eiectæ ceſſerunt Iudæis. cur non eadem
iam menſura ſpiritualem Eccleſiæ poſſeſſionem accipiant, qua terræ hæreditatem
ſortiti ſunt? Gentes ergo primò ad Chriſtum accurrentes in filios adoptantur: & quid
ni etiam iam ſecundò Iudæi gentibus in hoc cæleſti patrimonio ſuccederent.*

*Quod ſi igitur bene de iſta natione ſperandum ſit, quid in longius tempus differen-
da eſſet hæc ſpes noſtra, & non ſaturanda potius diebus hiſce vltimis? quod ergo ſe-
cundo iam dubitatur de tempore, iſto modo planum & perſpicuum fiet. Nam ſi nos in*

 poſtre-

poſtrema ſecula devenimus, Judæorum autem vocatio finem ſeculi non excedit, non poteſt illa diu latere & abſcondi. Extremam hanc eſſe mundi ætatem, quis ignorare poteſt, cum Apoſtoli tam multis antehac retroactis ſeculis in ſe irruiſſe illa tempora ſcripſerunt: Nam ſi illud placet, quod ab Auguſtino ponitur, qui in ter bina ſecula totius mundi ætatem diſtribuit: (in lib. Iudicũ quæſt. 49.) prima annorum ſeries ab Adamo exorſa in diluvio exit, ſecunda tum incipiens ad Abrahami tempora porrigitur, tertia ab hoc ſeculo vſque ad Dauidem recenſetur, (Mundi ſex ætates.) quarta ab eius regno initium ſumens in tranſmigratione Babilonica terminatur, quinta tum ingeris ſe & cyclum ſuum in Chriſti ætate conficit, ſexta & vltima ſequitur à Domini paſſione numerata & ad finem vſque ſeculi extenditur: Si iſta ergo annorum diſtinctio nobis probatur, vt & Apoſtoli qui mille & fere ſexcentis annis noſtro hoc ſeculo maiores ſunt, & Auguſtinus ſpatio ferè quingentorum annorum ab illis ſuperatus, vltimam hanc tamen mundi ætatem viderunt, multo iam propior & propinquior nobis ipſe extremus mundi finis & terminus ingruit. Porro ſi mundi exitus iniquitatis abundantia, & charitatis defectu definitur, ſi ſignis in cæli facie exhibitis, in terra etiam prodentibus ſe prænunciatur, omnia aptiſſimè conveniunt; nam & peccatum late dominatur, amor inter omnes deferuet iam & friget, cælum nobis minatum eſt ſæpius, & ipſa terra ſub pedibus quaſſata contremuit. Iſta tamen eo ſenſu à me non dicuntur, vt aut menſem, annum, luſtrum, generationem certo ſtatui poſſe exiſtimem, aut ego id coner aſtruere, quando Iudæis ſalus iſta annuntianda ſit (noſtrum enim non eſt in Dei ſecreta perrumpere & penetrare, quæ in ſuo ſinu recondita & congeſta ſervat) verum vt eluceſcat omnibus, advolare, accelerare, & prope adeſſe illud tempus, quod huic negotio exequendo deſeruire debet. Vnum vero grande impedimentum eſt, quod iſtius gentis vocationem retardat & remoratur. Quamdiu enim Antichriſtiana tyrannis Eccleſiam vaſtet & populetur quæ ceremoniarum imponens iugum, veſtitus differentia, dierum diſcrimine, carnium prohibitione, ſacrificiorum vſu, & alijs ritibus Iudaicis & ſuperſtitioſis religionem commaculat & corrumpit: quid mirum eſt, ſi Iudæi ſuo adhuc addicti cultui pertinaces maneant, cum à [illegible] fontibus, Chriſtianæ, qua falſo Pontificij gloriantur, profeſſionis rivulos [illegible]uri & derivari intelligant. Huc etiam & aliud accedit: Idolorum cultus [illegible]m iuſtam offenſionem Iudæis pariat, palam eſt, quod illi ſcelus, alias perfricta [illegible]is homines ſumme deteſtantur, & ad tartarum relegant. Iſtius ergo gentis ſtupor[illegible] admirari deſinamus, cum non ſine ratione inſanire videantur: Hinc enim factum eſt, quod Judæi Chriſtiano cætui non agregentur, nec ſe ſocios iungant, cum Idola illos diuino cultu proſequi videant, qui Chriſtianorum nomen ſibi iniuſte arrogarunt: quod illis turpiſſimum inuentum ipſa morte & inferno magis odioſum eſt & formidabile. Nunc igitur cum Antichriſtianum regnum ad ruinam nutet, debilitatæ eius vires, vulneratum caput ſit, cum iam fecibus ſuis purgari eccleſia, & priſtinæ integritati reſtitui, aboleri ceremoniæ, & ſuperſtitioſi cultus verbo diuino fugari cæperunt, firmiſſima iam concipitur ſpes, Chriſtum in eccleſia ſua triumphantem, deuictis hoſtibus ſuis, omnes oues in ſtabula ſua tam Iudæos, quàm gentiles breui collecturum & compulſurum eſſe, quod tum proſperè fiet, cum Euangelij puritas integrè reſtituta revixerit, & Antichriſtiana ſuperſtitio ab eccleſia procul exulet, quod vtrumque fæliciter iam inchoatum, Deus opt. maxim. ſuo tempore perficiat & abſolvat.

Præter hæc, cum iam annos mille quingentos octoginta Judæi Meſſiam ſuum con-

tinuo

*tinuò expectarint, ſua opinione ſæpius decepti, à Prophetis illuſi, vana ſpe animum lactantes, non deſtiterunt omni hoc tempore, preces crebrò effundere, humi iacere proſtrati, atrati incedere, eiulatus & vocificationes emittere, nihil tamen votis reſpondit, aut accidit pro animi ſententia, plùs quàm veriſimile eſt, in eptijs iam ſuis inſanam iſtam gentem toties amiſſa ſpe paulatim defatigari, & ſuæ iam ſtultitiæ ſibi conſciam, ad ſaniorem mentem redire velle.*

*Memorabile illud eſt, quod anno quingenteſimo ſecundo, qui annus eſt à preſenti hoc octogeſimus ſeptimus, accidit, Iudæos omniũ conſenſu, vbicunq; terrarũ locatos ſolenni ſe obſtrinxiſſe decreto, vt annum vnum ferè integrum ieiunio, planctu, lachrymis, ſenes, viri, iuvenes, omnes ſe affligentes, in genua provoluti, Deo humillimè ſupplicarent, vt eorũ tandem miſertus, Meſſiam promiſſum exhiberet, & iam diu expectatum mitteret: ſed eorum vani conatus, falſæ lachrymæ, ieiunium inutile, infructuoſus planctus, pænitentia tota inanis fuit. Qui ſuo nunc tandem edocti malo, priſtinam exoſi inſaniam, vbi tempus præſtitutum aduentarit, Chriſtianam proculdubio fidem amplexari & exoſculari incipient.*

*Vtrobiq; Auguſtinum partium noſtrarum teſtem & adſtipulatorem habemus, tum quòd Iudæos iterum vocandos aſſeramus, tum quod id in fine ſeculi eventurum credimus. Ille enim in iſtam fere ſententiam: quod quemadmodum Gileaditæ ad Jephtham acceſſerunt, quem repudiarant priùs, ita Iſraelitæ olim reuertentur ad Chriſtum, à quibus cruci adiudicatus eſt, & quod ſeniores Gilead (inquit) venerunt ad Iephte, per ætatem ſenilem poſteriora & nouiſſima tempora accipienda ſunt. Atque alibi in verba illa Euangelij, non amplius bibam ex hoc fructu vitis, vſq; in illum diem &c. ſic commentatur: paulo audacius ſcripturam hic tractat, quàm decuit, ita ſcribit tamen: vitis (inquit) de cuius nouitate paſſionis calicem bibit, gens Iudaica eſt, cum verò Chriſtus ait ſe iterum de fructu novæ vitis Apoſtolis propinaturum, ſignificatum eſt ipſam gentem ad corpus Chriſti per nouitatem vitæ acceſſuram, cum ingreſſa plenitudine gentium omnis Iſrael ſalvus fiet. Condonemus doctiſſimo patri hanc ſcripturis indecentur ludendi levitatem, & tempori tribuamus: Illius interim opinio, ſi ob antiquitatem pondus habere debeat, ad partes noſtras aliquid momenti afferet, cum iam apparebit, me non meas tantum coniecturas ſequutum ſed antiquiſſimam non iſtius patris ſolùm, ſed plurium ſcriptorum ſententiam è tenebris erutam in lucem producere.*

*Paucis iam diſſerui, tum qua ratione conſtare debeat, vocationis cæleſtis Iudæos participes futuros, tum quòd pluſquam probabile eſt, id in noſtra ſecula caſurum eſſe. Nolui pluribus diſceptare, ne præſcriptio mea extra iuſtum præfandi menſuram & modum creſceret, & ne largiùs primò guſtata fercula faſtidium parerent in reliquis. Iſta tamen volui leuiter primo adumbrare, vt quemadmodum mercibus expoſitis, dum eas vident & tractant emptores, faciliùs ad contractum deſcenditur, ita meus iſte vna ſynopſi luſtratus faſciculus citius ad lectionem intuentes invitaret: Et quoniam vtilitatis tanta vis ſit, vt facilè omnium animos ad ſe alliciat & inuitet, proponam breui ad quos vſus vtilis & accommodata ſit præſens iſta de Iudæis conſideratio. Tria ergo ex hoc fonte emanant commoda, & tres exiliunt & emergunt vſus. Primò cum Iudeos coniunctiſſimo fœdere Deo rurſus obligandos eſſe audiamus, illud inſinuatur,* 1
*non indies inimicitias illas, quas cum illa gente exercemus, exacui & exaſperari debere, ſed ſedari potius & componi: ſuademur etiam, vt precibus noſtris Deum ſumopere rogatum velimus, vt tempus illud matureſcat & feſtinet, cum Iudæorum ac-* 2
*ceſſione terminos ſuos & fines dilatabit & extendet Eccleſia. Secundò docentur Iu-*

*dei animos non deſpondere, aut à ſpe decedere, ſed diſcant potius cordis deuicta & ſubacta malitia, diuinæ voluntati & decreto affectus ſuos ſubiugare & proſternere, ne ipſi fœlicitati ſuæ hoſtes & inimici reperiantur. Vltimò noſtrates ſinguli compellantur, & vnà Chriſtiani omnes, vt moribus ſuis corrigendis, & vitæ emendandæ ſedulò operam dent, ne Chriſtiana fides à noſtris finibus hominum impietate repulſa, orientales antiquas ſedes reuiſat.*

*Sed revoco me ad tuam grauitatem conuerſus (illuſtriſſ. vir) quæ, vereor, ne ſermonis mei prolixitate diutius, quàm par fuit, detenta ſit. Veniam à tua dignitate peto, ſi quid iam à me admiſſum fuerit: Lectoris etiam humanitatē pro libello meo deprecor, vt ſi alicubi in eo impegerim, ſi fortè aliquid, quod expungi oportuit, adſcripſerim, ſanetur potius error, quàm parenti prolis vitium ruborem incutiat. Non audeo cum Auguſtino dicere: ab eis,* qui iſta lecturi ſunt, vt ignoſcant, peto, vbi me voluiſſe potius quàm potuiſſe dicere aduerterunt, ſicut ego eis agnoſco, vbi propter ſuam tarditatem me intelligere non poſſunt. *Illud mihi arridet magis, quo ſapienti dicto me conſolor & recreo:* aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus, ſi inimicus inſultat, ferendus eſt, amicus ſi errat, docendus eſt, ſi docet, audiendus. *Iſte exitus erit, vt ſi fœtus iſte meus, qui iam poſt aliquot annos, omni hoc tempore in latebris abditus, ſolem aſpicere cœperit, nunc veluti ex vtero exiens molliter tractetur, & hoſpitium inveniat, ſuccreſcere indies poſſit, & maiores vires colligere, & ſtimulos parenti addere, vt nouæ det operam proli: qui ſi tener iam & imbecillis aëris iniurijs exponatur, id eſt, linguæ aſperitatem perſentiſcat, parùm abeſt, quin priſtinas tenebras in quibus ſecure delituit, huic luci præferat, qua non ſine moleſtia fruitur.*

De trinitat. Lib. 5. Cap. 1.

De trini. Li. 2. Cap. 1.

*Vnum nunc reſtat, vt pro tua dignitate & cæteris honoratiſſimis viris vota faciamus, cum eo loco ſiti eſtis, vt & conſilio ſuadere, authoritate cogere, exemplo veſtro allicere multos poſſitis, & veſtris humeris tanquam columnis Eccleſiæ onus incumbat, & à vobis vt medicis reipublicæ ſalus & valetudo pendeat, vt omnibus modis publicam eccleſiæ rem promouere, & pacem eius tueri & conſeruare velitis: vt nullibi deficientes, conſilio flectatis proceres, authoritate cogatis ſubditos, exemplo trahatis vniverſos, vt illi patroni, reliqui profeſſores, omnes huius regni incolæ religionis fautores & amici exiſtant. Iſta nos precamur, boni omnes optant, vos aggredi & ſuſcipere debetis, princeps noſtra efficere ſtudet, Deus ops maxim. ſe perfecturum promittit.*

*Sereniſſimæ iam principis maieſtati fœliciſſimum imperium, & vitam æternam, tibi & toti patriciorum nobiliſſimo ordini omnium bonorum incrementum, & proſperum conſiliorum ſucceſſum, vniuerſo regno pacem cum euangelio diutiſſimam, det, concedat, largiatur, miſericors, omnipotens, ſempiternus Deus. Amen.*

Tuo honori deditiſſimus,
AND. WILLIATT.

# DE GENERALI Iudæorum vocatione.

## CAPVT PRIMVM.

*Queſtionis ſtatus exponitur & docetur unà, quanto numero vocandi Iudæi, ſicut & an veterum Iſraelitarum hodie reliquiæ aliqua exſtent.*

Sectio 1.

CVM de Iudæorum converſione diſſerendum ſit, atque ea vel ſtrictius intellecta ad ſelectiores Iudæos referri poſſit, vel latius ſe pandens vniverſam nationem complectatur, & ſi primum quæratur, facile res perventura ſit ad exitum, ſin alterum magis placeat, relinquatur adhuc dubitationi locus, illud primo ſcire operæ pretium erit, quid illud ſit, quod in diſputationem cadat, & vtrum è duobus propoſito noſtro magis conſentaneum videatur.

Queſtionis ſtatus.

Si eò animi noſtri ſententia incumbat, vt exiſtimemus Iudæos tantùm è reliquo cætu evocatos certos quoſdam divinæ vocationis participes fieri, qui ſpaſſim & exiguo numero, non ſpiſſè & frequenti turba, corpori Chriſti, id eſt, eccleſiæ inſerendi eſſent, nè hoc quidem mirum eſt, (etiamſi revera miraculi inſtar ſit, ſi quempiam Deus è mundi tenebris vindicauerit, cum omnes denſiſſimis eius vinculis irretiti teneamur) non eſt tamen cur tanta nos pervadat admiratio, cum hoc Apoſtolorum etiam ætate præſtitum ſit, & in alia etiam ſæcula inciderit, vt non neceſſum iam ſit certum aliquod temporis ſpatium vel intervallum ſtatuere, cui Iudæorum vocatio reſervanda eſſet.

Totius Iudæorum gentis converſio expetenda.

Novi viros & pios & eruditos multos, tum veteres, tum recentiores, vtroſque ſummæ fidei & minimè contemnendos authores in hac opinione eſſe quam introduxi: Cuius ego dogmatis vberiorem explicationem, ſi expediat & pleniorem refutationem etiam, vbi opus fuerit, quoniam ad hunc

locum non ſpectat, in alium prudens tranſtuli, ne vix iam exorſus ſermonis inceptum curſum perturbarem.

2. Illud ergo reliquum eſt de vniverſa Iudeorum gente agendum eſſe, & ad integram Hebræorum familiam ſe extendere & dilatare ſuſceptam controverſiam. Sed in ipſo iam ſermonis introitu duplex inijcitur ſcrupulus, & nodus vtrinque nectitur primò ſolvendus & laxandus, quam hunc locum deſeramus: Nam & quæri poteſt, an tanta frequentia Iudæi in eccleſiæ gremium recipiendi ſint poſtremis hiſce diebus, vt pauci excluſi videantur, cùm totius nationis mentio fiat, qui iſto modo profectò Chriſtianorum eccleſiam, quæ nunc inter gentes ſtabilita eſt, multis intervallis excedent & ſuperabunt, cum illi bonorum cætui, qui inter nos exiſtat, impij etiam & hypocritæ honeſto prætextu permiſceantur. Secundò ambigitur, an iſta, quam inferimus Iudæorum reſpublica, veteres etiam Iſraelitas, quos primò duxit captivos Rex Aſſyrius patrijs ſedibus expulſos ſuo ambitu complectatur. Primæ dubitationi ſic occurrimus, non ſperandum eſſe, vt tanto conſenſu à Iudæis vndique confluatur, vt ne vnus quidem à fidei profeſſione alienus ſit, non quòd Deus id efficere non poſſit, ſed quia vera eſt illa Paulina vox (ſpiritus enim elogia inverti & mutari non poſſunt) *Neceſſario excitandas eſſe hæreſes*, & ij certè ſuccreſcere perpetuò debēt, qui fidei fundamentum concutiant. Id tamen conſtanter affirmamus divino verbo innixi, vbi Iudæorum ſegetem metendi tempus appropinquarit, ingenti filiorum numero eorum acceſſione, auctam iri eccleſiam. Qui non ſolum denſa caterva & comitatu ſeſe intromittent in domum Dei, ſed fidei & religionis ardore correpti, ſplendore ſuo frigidæ & oſcitanti multorum Chriſtianorum profeſſioni tenebras offundent. Atq; hoc ego quidem non ſine ratione & ſpiritus ſancti teſtimonio aſtruiſſe videor. Nam quemadmodū, qui peregrè proficiſcitur, ignotas terras & regiones nudo pede & inermi corpore peragrans, eſuriens interdū, alias præ ſiti languens, tum demum ſuo magno malo expertus quid ſit dulci patria carere, domum reverti & notos tuos ſalutare & reviſere cupiat: & qui Oceanum navigando traijcit, in medios ſe fluctus immittens tenui & gracili cimba vectus, qui in ſaxa incurrit, in ſyrtes cōijcitur, deprimitur vſq; ad imū, mox in ſublime tollitur, millies ſpem omnem vitæ & ſalutis abjiciens, diſcit tandem ſuo cum periculo tutius eſſe in portu quieſcere:

[Margin: Prima dubitatio, an tota Judæorum gens convertenda ſit.]

[Margin: Secunda de Iſraelitis.]

[Margin: 1.Cor.11.19.]

[Margin: Efficax & fructuoſa Iudæorum vocatio.]

[Margin: 3.]

[Margin: Iudæorum fervor quantus, cum eccleſiæ iungentur.]

Ita

Ita profectò plerunque hic fit, cum homines priſtinæ vitæ pertæſi reſipiſcere incipiant, & ſe recipere ad meliorem frugem, vbi Deus ſemel manum ſuam ipſorum cordibus admoverit, ardentiori deinceps ſtudio vitæ conſectantur novitatem, quàm quo prius vitioſos & pravos imbibebant mores. Par omninò & ſimilis *I*udæorum ratio eſt: *I*llis, vti nunc ſe habent, & qua hodie perfidia & impietate ſunt, non vidit vlla ætas nequiores, & de quibus tenuior, & magis exigua ſpes oſtenditur: in Chriſtum enim truculento & blaſphemo ore invehuntur, fidem ipſius pedibus conculcant & conterunt, cum ipſo Deo imbelles & miſeri homunciones belligerant. Non dubitandum tamen eſt, quin ſi ſemel in eis pietatis ęſtus efferbuerit, penitùs in viros verè religioſos trãſeant. Hoc confirmãnt exẽpla illa illuſtria Zachæi & Pauli. *I*lle crudelis & immitis pauperum oppreſſor, fraudulentus, avarus in Evangelio perhibetur, qui ingentem dolo & fraude congeſſit & corraſit divitiarum cumulum: alter hoſtili odio Chriſtianos inſectatus fuit, non ſumptui, non labori parcens, dummodo Eccleſiæ Chriſti offici poſſit, indies novas in Sanctos machinatus fraudes & fucatos dolos conſuens: ecce tamen quanta & quàm ſubita vtriuſque mutatio conſecuta ſit, vnus quadruplo reſtituit, quod malis artibus partum fuiſſet, iſte religionis zelo & fervore reliquis Apoſtolis ſuperior evadit.

*Prima ratio ab eorum ſtatu in quo nunc ſunt.*

*Secunda ab exemplis, Luc. 19.*

Neque hoc tantopere admirandum eſt: Cum enim *I*udæi divinæ legis peritiſſimi ſint, & ſingula eius pręcepta quaſi ad vnguem teneant, niſi quod genuinũ ſenſum cordis cæcitate impediti non attingant, illi procul dubio, cùm caligo iſta diſſipata fuerit, & ſcientiæ ſe conſcientia adiunxerit comitem, quid prohibuerit, quò minus in ſyncero Chriſtianę fidei cultu plurimum proficerent. Nam ſicuti pueris, vbi adoleverint, ad artis alicuius ſtudium animos applicaturis, multum profuerit, tenera ætate grandium operum imitationi puerilibus ludis & jocis aſſuefactos fuiſſe: vt qui domuum architectus eſſe cupiat, ſe indè non paululum adiutum reperiet, quòd ſe puerum luteas domus fabricari ſolitũ meminiſſe poſſit, & qui Muſicæ profeſſioni ſe dedat, id ſibi adiumento eſſe intelliget, quòd nondũ vir factus fiſtulas, & avenas inflare conſueverit, quò ſua indole ferebatur: *I*ta profectò, qui ſe totũ divino cultui, quantus quantus eſt conſecrare & dedere in animo habuerit, hinc ſe ſolari & recreare poterit, quòd adoleſcentulus adhuc divinas laudes ore reſonare &

*4*

*Iudæorum cognitio quid conducat ad Chriſtianam fidem.*

canere didicerit. Vnde elicietur illud, quod toties inferre volui, facilè Iudæos, qui vulgò vocantur, Chriſtianis fidei integritate æquiparaturos ſe, quorum iuventus ſacris ſacroſanctæ præceptionis regulis ita munita & inſtructa fuit.

5

Iudæi gentium æmuli quarta ratio.

Huc addendum illud Pauli erit, *Iudæos futuros gentium æmulos*, qui ſuis exemplis illos aut tanquam ſtimulis excitabunt, aut veluti hortamentis quibuſdam invitabunt, ad pares conatus ſuſcipiendos. Quæ autem æmulandi ſit lex, & quanta contentione affectus ſuos intendant æmuli, & quanto cum fructu à ſe mutuò laceſſantur, loquatur Apoſtolus ſic docens: *Bonum eſt æmulari in bono ſemper.* Oſtendi iam inſtare tempus illud, cùm Iudæi iam deſerti & relicti, non numero ſolùm converſi ad fidem, ſed etiam zelo ſuo & fervore exultabunt.

Galat.4.11.

Quid ergo eſt, vt eò redeam, vnde declinavit ſermo? An Deus aliquando miſertus erit vniuerſæ gentis derelictæ iam & ſterilis? credo: ergòne imperium ſuum obtinebunt, & antiquam illam hæreditatem ſuam iterùm poſſidebunt? ſi negas, perge iam, & palam fac, quomodo non diſtributa in ſuos tribus natione iſta, & republica denuò conſtituta, floreat tamen, & verum Dominum Chriſtum agnoſcat. Certè Iudæi, qui iam vagi & errabundi varias mundi plagas incolunt, & altiſſimi immutabili decreto vitæ incertæ & fluctuanti deſtinati ſunt, in vnum coibunt nunquam, nec paternas domus recuperabunt, ſed per vniuerſum orbem terrarum (prout nunc ſparſi ſunt) per familias ſingulas, & certos cætus variis in locis congregati ad CHRISTVM tandem pertrahentur. Nam qui in Oriente degunt, non mutabunt ſedem itinere petentes Occidentem, nec qui hîc ſiti ſunt, permeabunt ad Iudæos Afros: ſed ſinguli & illa Reipublicæ forma, qua tum vtentur, cùm vocari cœperint, contenti, & eiſdem principibus, ſub quibus negotiantur, ſubditi, Eccleſiæ deputabuntur in lucro.

Iudæorum reſp. nũquam reſtituetur.

Sectio *6.*

Iudæorum inanes conatus.

Iudæi ſæpiùs poſſeſſiones ſuas redimere tentarunt, & IVLIANO imperatore eorum partibus favente, templum ipſum reædificare conati ſunt: ſed Omnipotens Deus talibus ſe cœptis ſubiraſci, & ſuccenſere de cœlo indicans, noctu tantum demolitus eſt operis, quantũ interdiu ſurrexerat, & Iudæorũ veſtes (ſi verum eſt quod in hiſtoria ſcribitur) ſanguine variè tinctę cernebantur crucis effigie impreſſa. Atq hinc credo factum eſt, quòd vetuſta illa civitas

Socrat.lib.3. cap.17.

Hieroſolimitana,

Hyeroſolimitana, quæ multos annos Chriſtianæ religioni deuota fuit, ex ipſorum Chriſtianorum manibus extorta in paganorum ditionem veniret, nè aut Papiſtarum iſta occaſione ſuperſtitio creſceret, qui ſepulchrum Chriſti, veſtimenta, ſpinas, & alias fictas reliquias adorandas eſſe docebant, & iudæis præberetur ſpes antiqui ſui iuris potiundi. Hic enim facilè à iudæis impingitur & toto cælo erratur, dum perfricta fronte Chriſti aduentum pernegantes, regem aliquem terrenum expectant & expetunt, & inani imperii & monarchiæ cuiuſdam ſomnio ſe decipiant. Eiuſdem erroris Apoſtolos Chriſtum redarguiſſe Lucas refert, qui cum herus ſuus iam aſcenſurus eſſet, ſperabant ſe illico florentiſſima republica fruituros, novo aliquo honore in dominum ſuum collato. Iſta eadem veſtigia premunt hodie Iudæi, qui tantum ab imperij iſtius maieſtate, quam animis confingunt, abſunt & remouentur, quanto ipſorum ſtatus hodie deploratior & ignominioſior ſit: ſatis ſe aſſequutos putent, ſi eadem conditione nati qua reliqui Chriſtiani, id eſt, humili & quibuſvis iniuriis obvia, eodem reficiantur per Chriſtum ſolatio, ne ſibi anguſtiorem dignitatem, aut ampliores honores polliceantur.

*Ciuitas ſancta cur tradita ſit in ethnicorũ manus.*

*Iudæi fruſtra expectant terrenum imperium.*

*Act. 1.*

Patet ergo Iudaicum cætum reipublicæ formam nunquam induiturum eſſe, idque magis patebit, ſi in ipſorum ſtatum, qualis hodie iam extet penitus introſpiciamus. Tribus iam confuſæ ſunt, & ſibi inuicem omnes miſtæ non conſtat inter eos, quis è Beniaminis tribu, quis Leuita ſit, quis ad Iudam ſpectet: perierunt annales, vna cum vetuſtate temporis antiquitatis monimenta conſenuerunt: & ne hic meam tantum audacter ſequutus coniecturam videar, cum tribuum diſtinctionem è medio ſublatam dixerim, huic rei argumento erit ille Eſræ locus, vbi notatis quibuſdam ſacerdotibus, qui à ſocero Barzilla, nomen vnà & cognationem mutuati eſſent, ſic ait: *iſti quæſiuerunt quiſque Scripturam ſuam, qui genus ſuum prædicabant, ſed non inventa ſunt.*

*Sect. 7.*

*Tribuum diſtinctio inter Iudæos periit.*

*Eſræ. 2. 62.*

Si ergo antiquis illis temporibus recenſere propaginem ſuam non poterant, quanto nunc facilior lapſus eſt, tot iam poſt illa ſecula reuolutis annis. Hoc autem ſingulari Dei prouidentia effectum eſſe pro certo habeo, vt familiarum & cognationis diſcrimen intercideret, vt vero Chriſti regno & ſacerdotio via ſterneretur.

*Cur ſublata ſit exacta tribuum cognitio.*

Nam ſi Iudæ tribus veſtigia permanerent, regem ſibi aliquem crearent: & ſi Leuitarum ordo inviolatus eſſet, nouos etiam ſacerdotes vngerent. Nunc vero vtraque claſſis obliuione ſepulta eſt, vt tandem edocti Iudæi intelligant, ſibi vnum tantum regem & ſacerdotem in cœlis collocatum eſſe, qui nos etiam cæleſti ſua virtute reges & ſacerdotes Deo patri acceptos offerret: ſic iam enodata prima dubitatio eſt, reſtat etiam alius locus euolvendus.

Sect.8. Quid actum ſit de veterib⁹ Iſraelitis.

Illud ergo inueſtigandum eſt, an cum Iudæos acceſſuros ad eccleſiam aſſerimus, eadem iſta immunitate & libertate veteres Iſraelitas donandos cenſeamus: Vbi etiam fortaſſis ſciendum eſſet, an eorum pars aliqua ſuperſtes hodie ſit, vel quid de illis fiat, & in quem totius orbis angulum & in quas latebras abditi ſint. Leues iſtæ quidem & curioſæ interrogatiunculæ ſunt, quæ vnâ cum ipſo ſpiritu euaneſcunt, rem tamen quocunque modo aggrediamur.

Fabula quædã de Iſraelitis.

Commentum otioſorum quorundam & nihil agentium volitat, Iſraelitas montibus quibuſdam tanquam mœnibus circundatos teneri, quos nec penetrare fodendo poſſint, nec ſcanſione pertranſire: qui tamen montes incuſſi dehiſcent & pervij erunt, cum tempus præſtitutum aderit. Huic Judæorum ſomnio adſtipulatur & robur addit fictitia illa & falſa Eſræ hiſtoria, quæ inter ſcripta Apocrypha eſt, qui ſic ſcribit: Decem illas tribus, quæ ſub Hoſæa rege captiuæ abductæ ſunt & ſubiugatæ Aſſyrio regi, cis flumen deportatas, in longinquam & longe remotam terram vltro tranſmigraſſe, regione prius itineris anni & dimidij peragrata, nunc trans montes Caſpios habitare vltro ſe ſiſtente flumine, donec tranſirent & peregrinas oras incolere nulli ante populo viſas aut cognitas: Cum vero (inquit) tempus iam aderit, quo illis reuertendum ſit, rurſus ſe rivus aperiet, & locum deſeret, vt populo iſti redeunti tranſitus pateat. Quæ quidem tam fabuloſa & leuis hiſtoria, (vt alia omnia huius libri commenta prætercam) ipſa per ſe omnem illi authoritatem demere potis eſt, vim & pondus excutere, & è ſacro canone integrum volumen expungere. In iſta hæreſi de Iſraelitarum reuerſione nimium ſibi placuit homo ille impuriſſimus, qui ſe Solomonem regem prædicabat, & dignas tanta impietate pænas Mantuæ in Italia ſub Carolo quinto Cæſare ſubijt & ſuſtinuit: & Kettus ille noſtras Anglus iuſtiſſima ſententia nuper

Falſi Eſdrę cõmẽtum de reditu Iſraelitarum. 2. Eſdr. ca. 13. v. 40. ad 48.

per igni & flammis adiudicatus eſt, Norvvici crematus, in conſimili hæreſi deprehenſus, & obſtinatè perſiſtens.

Sect.9.

Sed miſſas faciamus aniles iſtas fabulas, & ea ſequamur potius, quæ veritati magis conſona ſunt: ſi ſcire igitur vis, quid de Iſraelitis decretum ſit, vbi conſiſtant, in quæ abdita recluſi, ego vno verbo expediam. Certiſſimum ergo eſt, Iſraelitas aut degeneraſſe iam in gentes illas & nationes profanas, quarum familiaritate vtebantur, aut in eundem cum fratribus ſuis Iudæis populum coaluiſſe. Vtrumque ex ſacris chronicis apparet, vbi de inſigni illa paſchæ celebratione Heſechiæ temporibus habita, mentio fit. Rex ipſe curſores cum faſciculis literarum mittit per totum Iſraelem & Iudæam, ipſas etiam tribus Ephraim & Manaſſis ad ſolennes iſtas & ſacras epulas inuitat, & reliquias ipſas Iſraelitarum nominatim compellat, vt eorum converſione, qui ſuperſtites adhuc & relicti domi erant, commotus Deus, in eos etiam miſericors & mitis eſſet, qui captiui inter hoſtes detinerentur: iſti vero regis acceptis & lectis literis, hoc eius pium conſilium irriſerunt & repudiarunt. Pauci tamen quidam, vt eo loco interſeritur, ex Aſchure, Manaſſe, & Zebulune oriundi, iſtis adducti principis monitis Iudæis adhæſerunt, vnà hoc feſtum celebrantes. Non eſt ergo dubium, quin immorigeri illi & pertinaces Iſráelitæ, qui regis mandato non paruerunt, vicinorum idolis ſe polluentes, qui à rege Aſſyrio emiſſi eo profecti ſunt, vnà ipſorum nationi accreuerint, atque à fratribus ſuis divulſi, fraternum amorem & coniunctionem temporis decurſu deponentes, hoſtili ſe animo & ſtudio aduerſus conſanguineos ſuos armarunt: ex quibus vna. & Aſſyriis aduenis & peregrinis Samaritanorum conflata & propagata gens fuit iudæis ſemper infeſta & inimica: reliqui vero, qüi ab idolorum cultu ſe reuocari paſſi ſunt, totos ſe iudaicæ religioni tradiderunt.

Veteres Iſraelitæ aut degeneres facti, aut in Iudæorum nationē inſiti.

2. *Cron.cap.*30.

Origo Samaritanę gentis.

Sect.10.

Sed illud porro cognoſcendum eſt, quid alteri illi parti acciderit, quæ ab Aſſyriæ rege abducta & deportata fuit: ſacra etiam hiſtoria hoc indicat, *demigrauit Iſrael in Aſſyrium vſque ad hunc diem.* Quæ phraſis hanc habet vim, populum nunquam poſt diſceſſum ſuum ad proprias ſedes reuerſum eſſe: non enim catervatim aut turmatim vnquam redierunt, nec ea frequentia qua prius exceſſerant, quemadmodum nec iudæi, ſed vterque populus veluti vnum cætum agglomerantes, ſeruitutis iugo excuſſo iter domum capiebant: Hæc autem

2.Reg 17.23.

Iſraelitæ non reuerſi in hūc diem, quomodo intelligendum ſit.

autem non mea coniectura eſt, ſed ipſius Eſræ ſententia, qui poſt
*Eſra.*2.70. reditum quadraginta duo tantum millia numerata ſcribit recenſione facta ſingulorum, & toti cætui vnum Iſraelis nomen imponit: facilè quiſpiam conjicere poſſit, quid de reliqua gente factum ſit. omnibus Cyri edicto liberum fuit, niſi ipſi recuſarent, veteres ſuas vrbes & colonias repetere: illi tamen vt veriſimile eſt, aut tanto labore deterriti quem in templo extruendo ſuſtinerent, vel terræ illius amænitate allecti, vbi ſeptuaginta annos egiſſent, otij amantes, & voluptati indulgentes ſuæ, antiquum domicilium, non ita ardenter
*Eſra.*8.15. adire & inuiſere cupiebant, atque huic rei illud indicio erit, quod Leuitæ ipſi præ reliquis tardiores, qui tamen exemplo ſuo præire debuiſſent, niſi ab Eſra eos diu ad Ahauam riuum expectante accerſiti fuiſſent, iter ſuum non acceleraſſent.

Sect.11. Verùm quod Iſraelitæ vnà cum Iudæis commiſti ſunt, hac probabilitate nitur, quod ab eiuſdem imperij monarcha & imperatore vtriuſque populi ciuitas primaria exciſa & euerſa fuit, atque ipſi exules & captiui, in eadem regione aut non multis interuallis diſſita peregrinati ſunt. Primum ſatis euidens & manifeſtum eſt: vna enim monarchia vtrumque Chaldeorum & Aſſyriorum regnum complexa eſt, & penes vnum tantum, quantum ego auguror, ſum-
2.*Reg.*17. ma rerum poteſtas fuit. Salmanaſer Aſſyriæ rex captiuos abegit Iſ-
2.*Reg.*25. raelitas, Nabuchadnetſer Babyloniæ dominus Hieroſolymitanos ciues in regionem ſuam tranſportauit. Aſſyriorum metropolis Niniueh fuit ciuitas illa ampliſſima, Chaldæorum Babilonia: vtraque regio à ſuo rege primò gubernata eſt, poſtea ad alteram, Babylonem ſcilicet, integrum imperium peruenit. iſti ſucceſſit inuictiſſimus ille Cyrus, à Chaldæis ad Medos & Perſas tranſlata monarchia. Cum ergo vterq; populus eiuſdem principis authoritati ſub-
Iudæi & Iſraelitę in eadem regione exulant. iiceretur, non dubium eſt, quin Ciri mandatum de Iudæis reſtituendis, eodem iugo etiam fratrum ceruices exemerit: Quòd verò ſitu & loco non ita longè diſiuncti fuerant, hinc perſpicuum eſt, quòd in eandem terram Chaldæus Iudæos coegerit ſedibus ſuis eliminatos, Chamathum nimirum, è cuius terminis Aſſyrij iuſſu regis ſui
2.*Reg.*25.v.21. prius egreſſi, Samariam totam & adiacentem regionem occupa-
2.*Reg.*17.24. rant. Haud ergo difficile fuit, mutua ſocietate coniungi vtramque nationem, cum à patria ſua profugi & exules fratres eodem ſeruitutis iugo onerati, vicini admodum & contermini, eiuſdem etiam e-

dicti

dicti regii libertate fruerentur. Perducta iam vtraque queſtio ad exitum eſt, & ſatis liquidò conſtat, quibus gradibus Iudæi in verè Chriſtianorum numerum aſciſcendi ſint, quid etiam tenendum de Iſraelitis ſentiamus, quibus cognati ſui Iudæi, & nomen ſuum, & genus etiam communicent. Sic ergò tota controverſia paucis expoſita, pergamus iam & accingamus nos, vt accuratiùs ſingula rimemur & exploremus.

# CAPVT II.

## *Ex ſacræ Scripturæ teſtimonio confirmatur Iudæorum nationem gratiam iterum cum Deo inituram eſſe.*

POSITO iam fundamento illo, & queſtionis baſi, cui reliquum ædificium noſtrum inniti debet, illud proximum eſt, vt ita ſingulæ partes aptentur & concinnentur inter ſe, vt ſua architectura tota domus cohæreat & conglutinetur. Primò ſpiritus ſancti teſtimonium offeramus, quo tanquam adminiculo partes noſtræ fulciantur, & veluti quadrato lapide totius operis ſtructura vinciatur. Sacroſancta ergò Scriptura locupletiſſima eſt defenſionis noſtræ teſtis & patrona: Iudæos iamiam fœlices dabimus, vbi ſtrenuè ipſam divinam legem eorum cauſæ patrocinatam intellexerint, a cuius ſententia nobis primò ordiendum eſt. Sect. 1.

Illuſtris illa & euidens Noachi prophetia eſt, qua de gentium vocatione ita prædixit: *Alliciet Deus Iaphethum, vt habitet in tentorijs Semi.* Illàne ergò Semi tabernacula ſunt 1. Iudæorum vbi nunc Iaphethi poſteritas, gentis ſcilicet propago & ſoboles commoretur, & veluti paxillos defixit, & extendit fines: At Iudæi iam ſiti extra Eccleſiam ſunt, errant & vagantur paſſim, à cœtu piorum exulantes, & ipſo aditu domus & Templi Dei interdicti: ipſum tamen titulum & hæreditatis ius non amiſerunt. Tempus ergò erit, anno illo Iubilæi, cùm omnia in priſtinum ſtatum recurrent, & ſuum cuique redet patrimonium, vt in Iudæorum ditionem veniant rurſus

Gene. 9. 27.

Domus Dei cur appellatur tentorium Semi.

ſus tentoria iſta ſua: id eſt, cum annus ille agetur lætus & gaudij plenus, in quo Iudæis luchriſactis ſaltus & choreas tripudiantes ducent pij. Huic loco proxima eſt diuina illa promiſſio Abrahamo olim à Deo exhibita, ſemen eius ita numeroſum fore, *ſicut ſtellæ cæli & arena quæ eſt in littore maris:* Nam licet tum expleri cœperit hæc prophetia, cum Iudeorum gens Abrahami progenies in tantam multitudinem creuerat, è Pharaonis truculenti illius tyranni manibus elapſa, & deinceps indies multiplici ſuæ prolis generatione fœcunda euaſerat; cum tamen Abrahamus omnium fidelium pater ſit, tum demum benedictionem hanc perſentiſcet eccleſia, vbi vndiq; ad domum Dei concurratur & denſiſſima turba in ipſius gremium & ſinum tam gentes, quàm Iudæi ſe reponant: quod cum nulla ætas adhuc præſtitum viderit, abeſſe procul profecto illud tempus non poteſt, in quo Iudæorum conuerſione lætantes, triumphum vnà agant Chriſtiani.

*Gen.22.v.17.* Abrahamo facta promiſſio de ſeminis multitudine quomodo cõpleatur.

Tranſeamus iam ad ſanctiſſimum illud Iacobi elogium, quo de Iuda ſic pronuntiat, *non deſiſtet tribus è Iehuda, neque legiſlator è medio pedum eius vſque dum venerit filius eius.* Qua ſententia illa primo tempora adumbrata non imus inficias, in quibus Chriſtus carnem indueret, qua ferè tempeſtate regni gubernacula è manibus Iudæorum extorta, ab alienis & exteris hominibus tractabantur, & non multo poſt tribus Iudæ confundi cœperat, & omnis eius diſtinctio è medio ſublata periit: quis tamen non videt hunc locum ad ipſa poſtrema ſecula reſpicere, vt, etiamſi & reſpublica Iudæorum diſſipata, & tribuum ordines & familiæ commiſtæ inter ſe multo antè fuerint, illud tamen ſignificetur & innuatur, Iudaicæ gentis & nominis remanſura veſtigia quædam vſq; ad domini aduentum, vt quem primò omni humilitate & abiectione ſui ſe afferentem reiecerunt, nunc reuerſurum cum gloria amplexentur. In eundem ſenſum Chriſti illi verba prolata ſunt, quibus Apoſtolos ſic alloquitur. *Amen, amen dico vobis, quod non abſolueritis omnes vrbes domus Iſrael, donec venerit filius hominis.* Hunc Chriſti aduentum alij ad vrbis excidium, alij ad Spiritus ſancti deſcenſum referunt: ille ſenſus magis coactus & durior eſt, iſte aptior & coniunctior cum re. Nam in ſublime cum carne euectus Chriſtus in cælos, dimiſit ſpiritum, corporis, ſui abſentiam cæleſti ſuo auxilio abundè compenſaturum, ſed qui eum ſpiritu & diuina potentia preſentem exhiberet

Sect.2, *Gen.49.*

Iudæi reliquiæ cur adhuc maneant.

*Mat.10.23.* Quid ſit non abſoluere omnes domus Iſraelis.

exhiberet: verùm, vt nihil detractum de hac ſententia ſit, quid impedit tamen, quin iſte locus paulo ſe pandens & aperiens latiùs, ad vltima tempora pertingat, cum Iudæis iterum ſalus prædicatione præbenda erit, atque ita ſi non Apoſtoli, Apoſtolica tamen doctrina omnes Iſraelis vrbes peruaderet & peragraret, id eſt, ſparſos eius & diſſeminatos cives Iudæos nempe domum, hoc eſt, " ad verum dei cultum reduceret.

Moſis iam moribundi, vt pergam, ſuaviſſima illa vox eſt *exaudi Iehoua Iudam, & reduc eum ad populum ſuum*. Apertis verbis precatur, vt Iuda ducis loco & principis fratribus exiſtat, & domum triumphans redeat ſpoliatis hoſtibus, & quid ni etiam occultè indicet, tempus aliquando aduenturum, cum familia iſta, impellente numine ipſis Chriſtianis, pietate & fidei puritate præluceat. Huc etiam inſeramus efficax illud Samuelis ſolatium, quo Iſraelitas reficit, ſic eos affatus, *ne timete, non deſeret Iehoua populum ſuum, propter nomen ſuum maximum, quia placuit Iehovæ vos ſibi efficere populum*. Firmiſſimum fundamentum Dei beneplacitum eſt: ſi à meritis ſuis & propriis operibus dependiſſet populi illius ſalus, incerta proculdubio eſſet & vacillans: nunc cum à Dei electione & voluntate profecta ſit, quid deeſſe poteſt, ad eius perfectionem & ſtabilitatem? Quis nouit vtrum eodem fauore deus, quo primò eos adoptarat, vbi prout ipſi viſum & decretum fuerit, ipſos caſtigarit complexurus denuo ſit?

Sect.3. Deut.33.7.

Moſis teſtimonium de conuerſione Iudæorum.

1.Sam.12.22.

Iudæorum ſalus Dei beneplacito nititur.

Ita porro propheta hymno illo ſuo modulatur & canit, *qui confidunt Iehovæ ſimiles ſunt monti Sionis, qui non dimouetur, ſed manet in æternum*: qua ſententiola non montis ipſius firmitatem denotat, qui terræ motu abſorberi, ventis frangi, aut alio aliquo caſu quaſſari potuit: ſed Iudaicam eccleſiam deſignat, cuius robur & vires iſta typica verborum vmbra exprimuntur. Quid ergo nobis non liceat de ea gente polliceri, quæ firma vt montes, robuſta vt turris Sionis, fundata vt terra eſt? prudentiſſ. rex in ſuavi illo ſuo & dulci cantico ita in Iſraeliticam ſobolem intuitus, ſponſam cum ſponſo colloquentem introducit: *impone me vt ſigillum animo tuo, vt ſigillum brachio tuo, nam fortis eſt vt mors amor, durus vt ſepulchrum zelus*. Non me latet ſuauiuſculam iſtam vocem toti Eccleſiæ aptiſſimè convenire, at quid ni, Solomone præſertim Iſraelis rege iſta dictante, primæ illi ſtirpi tribuatur?

Sect.4. Pſal.125.1.

Iudæorum ſalus monti comparatur.

Cantic.7.10.

Num ergò ſigilli quiſpiam oblivíſci poteſt,quod ſemper in aſpectu & oculis hæret? quî ergò Deum populi ſui oblivio caperet? An mortem dolo circumvenire quis ſe poſſe putet, vel ſepulchrum ſuos captivos facile admittet & liberabit? Ita nec Deus eorum quempiam, quos in complexu habet, & fovet veluti in ſinu, è manibus ſuis eripi aut extorqueri ſinit, ex quo numero cùm populus Iudæus ſit, non poteſt ille in æternum perire, vel perpetuis tenebris ſepeliri.

Sect.5. Transferamus ſermonem iam ad diviniſſima illa Ezechielis oracula. Quorſum ergò ſpectat viſio illa de oſſibus nudis & aridis, quæ Propheta in valle conſpexerat: ea dum intuetur, eccum carne veſtiri, & cute ſuperindui, & ſpiritu perfuſa reviviſcere incipiunt. Primo hic aſpectu, erigi labaſcentes populi & concidentes animos reperiemus, quorum cervices duro ſervitutis iugo iam vrebantur, dum redeundi & reſpirandi ſpe ſuſtentantur: atque id ita eſt, & hic ſenſus verè ex hoc loco elicitur. Verùm ſi penitius ipſum Prophetæ ſcopum ſpectemus, omnia congruo ſenſu ad populi illius ad deum ſuum & fidem reuerſionem accommodari poſſe palàm erit: tum enim Deus aperiet ſepulchra, & educet populum ſuum, & pleniſſimo cornu illis emetietur ſpiritum, vt apud Prophetam interſeritur. Atq; hoc quod contendo, typica illa lignorum figura, quæ poſtea deſcribitur, multo adhuc evidentius eſt. Iubetur Propheta duo ſibi ligna comparare duplici nomine inſcripto Iehudæ & Iſraelis: iſta ligna aptans & quadrans coniungit, hoc ſigno ſcilicet præmonſtrans mutuam illam concordiam & amicitiam, qua vterque in Chriſto vnirentur & necterentur inter ſe, non ſecû tantùm redeuntes in gratiam, ſed gentibus etiam reconciliati. Chriſtus enim maceriem illam decernit, quę circumciſos à barbaris iam diu diſtinxerat & ſepararat. Nondum autem iſta pacis & mutui conſenſus adſunt tempora (appropinquare tamen credimus) cum tanto religionis diſſidio & diſcrimine Hebræi adhuc à toto orbe diſſiliant & diſcrepent.

Ezech.37.1.

Viſio Ezechielis de aridis oſſibus & lignis expoſita.

verſ.12.

verſ.22.

Epheſ.2.14.

Sect.6. Sed percurram alium etiam ex Ezechiele petitum locum: ſummam viſionis ibi inſertæ vno verbo complectar. Oſtendit quidem Propheta aquas è templo verſus orientem promanantes, quæ cum decurriſſent per mille cubitorum ſpatium talares erant, cùm alios mille cubitos angelus Dei emenſus eſſet, pertingebat fluvius genua

Ezech.47. 4,5,8.

nua, totidem adhuc cubitorum menſura appoſita, torrens fluebat ad lumbos intumeſcens natando ſolùm traijciendus: Iſtæ aquæ prolabuntur in Orientem, ſeu, vt Tremellius habet in Galilæam, tum in mare decidunt, quibus in ipſum exoneratis, marinæ ſalſiores aquæ curantur, & repentia omnia animalia aquis iſtis perluta vitam accipiunt: abditiſſima profectò myſteria iſtis tegumentis involvuntur. Luculenter hic, vt ego interpretor, (nec temerè tamen in verba Prophetæ irruam) Iudæorum ſtatus depingitur. Omitto, quæcunque audacioris quiſpiam & inſolentis ingenij de tempore ipſo commentari vellet, tria illa cubitorum millia arripiens, & totidem eorum vice inducens annos: iſtos ego qualeſcunque peroſus nugas, ita tamen colligo, non otioſam ſcilicet Orientis maris, & animalium mentionem fieri: vndè enim originem petunt Iudæi, nonnè ex oriente, & in quos aptius convenit Galilæorum nuncupatio, quàm in ipſos? Aqua verò ſalſa & gravis, dulcior iam redita, & potui apta, quid aliud innuit, quàm inſipida & inſana Iudæorum ſomnia, ſalubri & ſalutari fidei medicina ſananda & mitiganda eſſe: & quinam illi homunciones ſunt, qui humi repunt & ſerpunt? An vlla vnquam nata gens fuit magis totius mundi opprobrijs expoſita, aut gravius omnium maledictis onerata, quàm hæc vna Palæſtinorum: quibus convitijs & maledictis non amplius appetentur, vbi ad ſaniorem mentem redierint.

Viſio Prophetæ de aquis ex altari promantibus explan ata.

Viſicius accommodatia ad Iudæos.

Ezechieli ita copioſè & divinè fundenti prophetias, aſtipulatur Propheta Zacharias: *Tum poſſidebit* (inquit) *Iehova Iehudam portionem ſuam in terra ſancta & eliget rurſus Ieruſchalaima.* An non diſertis verbis pronuntiat, novum fœdus ictum iri cum *Iudæis*, & priſtinam renovandam & redintegrandam eſſe amicitiam? Sed obijciet aliquis: iſtis nominibus verus Dei populus ex quacunque natione colligendus ſignificatur: ſic ergò anteverto, nè ita aliquis occurrat, in proximo priori verſu ſic legitur: *Adiungent ſe multæ gentes Iehovæ illo die.* Alia ergò iſta coniunctio eſt à Iudæis præſtanda, alia illa, quæ præceſſit, gentibus aſcripta. Multa alia paſſim loca Prophetarum libris legenti obvia erunt, in quibus ſcribitur, Gentes olim ad Templum Dei & montem Sionis feſtinanter concurſuras: Cuius ſermonis non littera, ſed ſenſus exquirendus eſt. Non enim id dicunt Prophetæ, immò ne cogitant quidē, quòd civitatis iterum ruinæ reſarciri, ceremoniæ Iudaicæ reſtitui, Templum à Iudæis

Sect. 7.
Zach. 2. 12.

Novum Iudæorum fœdus.
Verſ. 11.

Prædictiones Prophetarum de Iudæis non ad literam expendendæ.

dæis adiri & frequentari, & regio integra ab illis coli & poſſideri debeat: (hominum enim dementium furor eſt, & hæreſis ſupplicio corrigenda qui ſic ſomniant) verùm huiuſmodi locis docetur, quãta animi propenſione Gentes ad eccleſiam acceſſuræ ſint, ita tamen, vt non excluſa aut repulſa ſit Iudaica natio, cum illius titulis & inſignibus Chriſti eccleſia adhuc condecoretur & celebris ſit. Subiungit ergò idem Propheta Zacharias: *Erit die illo, vt effundam ſuper domum Iſraelis ſpiritum gratiæ, reſpicientq́ ad me, quem transfixerunt, clangentq́ ſuper hoc tanquam planctu de vnigenito: & magnus erit planctus Ieruſchalaimis, vt planctus Hadadrimonis, in convallo Megiddo,* & ſequentibus. Duo ſunt revera triſtitiæ genera, vna propter Deum ſuſcipitur, altera ſeculi dolor appellatur, vt docet Paulus: Prior prodeſt ad reſipiſcentiam, iſta mortis & interitus initia præcurrit: Non iſto modo lugentes Iudæos introducit Propheta, vt alibi etiam de impijs ſcribitur, plangent coram Domino à ſe transfixo, montibus dicent & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos, &c. Sed pios iſtius gentis dolores præmonſtrat, quos crucifixi domini recordatio illis olim incuſſerit, cùm vocationis ipſorum tempus revolutum fuerit. Qualis igitur iſta reſipiſcentia & cuius momenti ſit, id argumento eſt, quòd ſpiritus gratiæ, qui effunditur ſuper Iſraelitas, illius author & effector dicitur. Iſtam verò Prophetæ ſententiam nondum completam vidimus: idq; adhuc evidentius patebit, ſi tres iſtas huius lamentationis circumſtantias penſitemus: à quibus nempe iſte fletus audiatur, ſcilicet ab vniuerſo populo: quid eos impulerit, ſceleris in Chriſtum patrati conſcientia: quomodo denique in luctu iſto veluti funebri procedant, ſeorſum lugent omnes, fœminis etiam ſuæ tribuuntur partes, luctus porrò perpetuus eſt, ſicut quotannis Ioſiæ mortem deplorabant. Quis iam meminiſſe poteſt illa tempora, cùm vniuerſa Iudæorum gens cilicium induerit, vt iſto in loco domus Davidis, Nathanis, Leui, & omnes aliæ tribus & familiæ plangentes & plorantes, veluti in ſcenam & theatrum prodeunt? Et ſi deſignetur aliquod huiuſmodi tempus, vt annus ille Iudæis inſignis & memorabilis fuit, cùm omnes ex profeſſo, vbicunque terrarum locati, multis lachrimis & crebris jejuniis Deo ſupplicarunt, vt Meſſias, quem fruſtrà tot annos expetiviſſent, nunc tandem mitteretur, ne ſpem ſuam prorſus amitterent: aliam tamen iſtius triſtitiæ futuræ cauſam reddit Propheta, nempè

Zach. 12. 10. ad finem capitis.

Triſtitia duplex. 2. Cor. 7. 10. Revel. 1. 7. and 6. 16. Iudæorum pænitentia.

Tribus circumſtantijs amplificatur luctus Iudæorum.

Generalis Iudæorum luctus qui incidit in annũ 1502.

nempè ipſorum corda punget & penetrabit ſervatoris paſſi, & indigniſſima morte à gente ſuo ſublati memoria: huius autem doloris nondum aculeos ſenſerunt, ſed dolebunt poſteà, cùm Deus illos ad eccleſiam redire iuſſerit. Iſta porrò mæſtitia Iudæorum non levis erit, aut ſubita, nec citò deponetur: edent enim gemitus, vt mulieres pro vnigenito, & indies renovabunt luctus, vt quotannis publica pro Ioſia lamentatio habita eſt. Nondum tamen ſeriò vel data opera eiularunt Iudæi, ſed tanquam aliud agentes vi expreſſas extruſerunt lachrymas: ipſorum enim corda vel ipſo ſaxo duriora nulla calamitas flectere adhuc vel domare potuit: quæ tamen ſi Deus feriat, facilè cedent, vt rupes à Moſe percuſſa aquam effudit. Nec adhuc Iudæi Ihesum mortuum, vt olim Ioſiam interemptum, id eſt, continua & anniverſaria lamentatione deflere cœperunt, & ſicut pro morte Gedaliæ perpetuum jejunium ſeptimo menſe conſtitutum fuit. Ergò venturum adhuc tempus illud eſt, cùm Iudaica natio ad luctum ſolenniorem iſtum & publicum, ex inſtituto accinget ſe & comparabit. — Iudæorum luctus ſimilis erit lamentationi pro Ioſiæ morte ſuſceptæ. — „ ut supra Zach. 12:10

His addam vnam ex Malеaco ſententiam, ſic ille, *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Iehovæ maximus & reverendus.* Primò & præcipuè iſte locus de Iohanne Christi præcurſore intelligitur, ipſo Domino Chriſto interprete, ſic etiam docente Angelo. Quod ſi tamen & adhuc Elias aliquis venturus ſit, (quem ego loci iſtius ſenſum non facilè reijcere, cum Chriſtus iterum ſe mundo exhibiturus & oſtenſurus ſit) nec illi tamen audiendi ſunt, qui ipſum Eliam omni hoc tempore in paradiſo agentem, ſua perſona & habitu reverſurum ſentiant, cui tam ridiculæ opinioni, ſomniorum amantes Papiſtæ adhæreſcunt, qui poſteà mihi erroris convincendi erunt: nec mihi eorum prorſus arridet aſſertio, qui Eliæ ſpiritu præditos miniſtros in fine ſeculi excitandos exiſtimant (quod tamen luce ipſa clarius eſt, & noſtra ætas etiam teſtatur) ſed tum Elias veluti è ſepulchro reſuſcitatus agnoſcetur, cùm Iudæi converſi, & Prophetæ natione agnati & fervoris & zeli imitatione non diſſimiles orbem Chriſtianum frigidæ & ſimulatæ profeſſionis redarguent. — Mal. 4. 5. — Matth. 11. 14. Luc. 1. 17. — De Eliæ reditu in exitu mundi quid ſentiendum.

Sic ergò ex Lege & Prophetis hoc manifeſtum dedimus, Iudæis ad ſalutem aditum patefaciendum eſſe: Secundo loco experiemur, quæ nobis argumentorum vis & copia ex novi fœderis — Sect. 8.

dæis adiri & frequentari, & regio integra ab illis coli & poſſideri debeat: (hominum enim dementium furor eſt, & hæreſis ſupplicio corrigenda qui ſic ſomniant) verùm huiuſmodi locis docetur, quãta animi propenſione Gentes ad eccleſiam acceſſuræ ſint, ita tamen, vt non excluſa aut repulſa ſit Iudaica natio, cum illius titulis & inſignibus Chriſti eccleſia adhuc condecoretur & celebris ſit.

Zach.12.10. ad finem capitis.

Subiungit ergò idem Propheta Zacharias: *Erit die illo, vt effundam ſuper domum Iſraelis ſpiritum gratiæ, reſpicientq; ad me, quem tranſfixerunt, clangentq; ſuper hoc tanquam planctu de vnigenito: & magnus erit planctus Ieruſchalaimis, vt planctus Hadadrimonis, in convallo Megiddo,* & ſequentibus. Duo ſunt revera triſtitiæ genera, vna propter Deum ſuſcipitur, altera ſeculi dolor appellatur, vt docet Paulus: Prior prodeſt ad reſipiſcentiam, iſta mortis & interitus initia præcurrit: Non iſto modo lugentes Iudæos introducit Propheta, vt alibi etiam de impijs ſcribitur, plangent coram Domino à ſe transfixo, montibus dicent & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos, &c. Sed pios iſtius gentis dolores præmonſtrat, quos crucifixi domini recordatio illis olim incuſſerit, cùm vocationis ipſorum tempus revolutum fuerit.

Triſtitia duplex. 2.Cor.7.10. Reuel.1.7. and 6.16. Iudæorum pænitentia.

Qualis igitur iſta reſipiſcentia & cuius momenti ſit, id argumento eſt, quòd ſpiritus gratiæ, qui effunditur ſuper Iſraelitas, illius author & effector dicitur. Iſtam verò Prophetæ ſententiam nondum completam vidimus: idq; adhuc evidentius patebit, ſi tres iſtas huius lamentationis circumſtantias penſitemus: à quibus nempe iſte fletus audiatur, ſcilicet ab vniuerſo populo: quid eos impulerit, ſceleris in Chriſtum patrati conſcientia: quomodo denique in luctu iſto veluti funebri procedant, ſeorſum lugent omnes, fœminis etiam ſuæ tribuuntur partes, luctus porrò perpetuus eſt, ſicut quotannis Ioſiæ mortem deplorabant.

Tribus circumſtantijs amplificatur luctus Iudæorum.

Quis iam meminiſſe poteſt illa tempora, cùm vniuerſa Iudæorum gens cilicium induerit, vt iſto in loco domus Davidis, Nathanis, Leui, & omnes aliæ tribus & familiæ plangentes & plorantes, veluti in ſcenam & theatrum prodeunt? Et ſi deſignetur aliquod huiuſmodi tempus, vt annus ille Iudæis inſignis & memorabilis fuit, cùm omnes ex profeſſo, vbicunque terrarum locati, multis lachrimis & crebris jejuniis Deo ſupplicarunt, vt Meſſias, quem fruſtrà tot annos expetiviſſent, nunc tandem mitteretur, ne ſpem ſuam prorſus amitterent: aliam tamen iſtius triſtitiæ futuræ cauſam reddit Propheta, nempè

Generalis Iudæorum luctus qui incidit in annũ 1502.

nempè ipſorum corda punget & penetrabit ſervatoris paſſi, & indigniſſima morte à gente ſuo ſublati memoria: huius autem doloris nondum aculeos ſenſerunt, ſed dolebunt poſteà, cùm Deus illos ad eccleſiam redire iuſſerit. Iſta porrò mæſtitia Iudæorum non levis erit, aut ſubita, nec citò deponetur: edent enim gemitus, vt mulieres pro vnigenito, & indies renovabunt luctus, vt quotannis publica pro Ioſia lamentatio habita eſt. Nondum tamen ſeriò vel data opera eiularunt Iudæi, ſed tanquam aliud agentes vi expreſſas extruſerunt lachrymas: ipſorum enim corda vel ipſo ſaxo duriora nulla calamitas flectere adhuc vel domare potuit: quæ tamen ſi Deus feriat, facilè cedent, vt rupes à Moſe percuſſa aquam effudit. Nec adhuc Iudæi Ihesum mortuum, vt olim Ioſiam interemptum, id eſt, continua & anniverſaria lamentatione deflere cæperunt, & ſicut pro morte Gedaliæ perpetuum jejunium ſeptimo menſe conſtitutum fuit. Ergò venturum adhuc tempus illud eſt, cùm Iudaica natio ad luctum ſolenniorem iſtum & publicum, ex inſtituto accinget ſe & comparabit.

Iudæorum luctus ſimilis erit lamentationi pro Ioſiæ morte ſuſceptæ.

" ut supra " Zach. 12. 10

His addam vnam ex Malеaco ſententiam, ſic ille; *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Iehovæ maximus & reverendus.* Primò & præcipuè iſte locus de Iohanne Chriſti præcurſore intelligitur, ipſo Domino Chriſto interprete, ſic etiam docente Angelo. Quod ſi tamen & adhuc Elias aliquis venturus ſit, (quem ego loci iſtius ſenſum non facilè reijcere, cum Chriſtus iterum ſe mundo exhibiturus & oſtenſurus ſit) nec illi tamen audiendi ſunt, qui ipſum Eliam omni hoc tempore in paradiſo agentem, ſua perſona & habitu reverſurum ſentiant, cui tam ridiculæ opinioni, ſomniorum amantes Papiſtæ adhæreſcunt, qui poſteà mihi erroris convincendi erunt: nec mihi eorum prorſus arridet aſſertio, qui Eliæ ſpiritu præditos miniſtros in fine ſeculi excitandos exiſtimant (quod tamen luce ipſa clarius eſt, & noſtra ætas etiam teſtatur) ſed tum Elias veluti è ſepulchro reſuſcitatus agnoſcetur, cùm Iudæi converſi, & Prophetæ natione agnati & fervoris & zeli imitatione non diſſimiles orbem Chriſtianum frigidæ & ſimulatæ profeſſionis redarguent.

Mal. 4. 5.

Matth. 11. 14.
Luc. 1. 17.

De Eliæ reditu in exitu mundi quid ſentiendum.

Sic ergò ex Lege & Prophetis hoc manifeſtum dedimus, Iudæis ad ſalutem aditum patefaciendum eſſe: Secundo loco experiemur, quæ nobis argumentorum vis & copia ex novi

Sect. 8.

 fœderis

fœderis teſtimonijs ſuppetat: ſed priuſquam hanc rem aggregiamur, repellendæ dubitationes quædam ſunt, quæ aliter allatas ex veteri Teſtamento ſententias eripere è manibus noſtris & extorquere viderentur. Primò enim occurritur promiſſiones omnes illas, quas Dei nomine polliciti Iudæis ſancti illi viri ſunt, huius tantùm vitæ commodis aſtringi, & de externorum tantùm bonorum hæreditate pronuntiari: vno verbo retundam iſtam calumniam. Certiſſima ergò res eſt, non terrenam aliquam aut caducam poſſeſſionem patres ob oculos ſuos ſtatuiſſe, ſed cæleſtem & fælicem vitam, externa rerum omnium affluentia pulchrè depictam, ſeriò meditatos eſſe. Huic rei fidem faciunt tot inter patres meditationis & patientiæ exempla, tot piæ voces & tranquillæ ex ipſorum ore prolatæ, tot deniq; labores in divino cultu ſuſcepti & exantlati: & in hoc ipſo argumento multus eſt doctiſſimus Calvinus. Sed quid ego homines appello, cùm ipſe Chriſtus teſtetur, *Abrahamum vidiſſe diem ſuum ſæpius ab eo concupitum, & gaviſum fuiſſe.* Neque hoc novum putetur Scripturam eiuſdem ſententiæ ſenſum geminare ſolitam, cum duplicis beneficij promiſſione nos ad ſe alliciat, cæleſtis nempè, & ſpectantis etiam ad hanc vitam. Hoc enim non veteribus tantùm Prophetis familiare fuit, ſed ſæpiùs in Evangelijs vſu venit: vt apud Matthæum de Chriſto dicitur, *eum ſaturum dolores & infirmitates noſtras:* quod vtroque modo intellectum valet, Chriſtum & corporis morbos ſuſtuliſſe, & animi etiam ſordes, peccata ſcilicet abluiſſe. Sic alibi apud Iohannem Chriſtus de ſe, *Quos dediſti mihi non perdidi ex ijs ne vnum quidem:* cuius etiam dicti geminus eſt ſenſus, & vterque genuinus: nam omnes Apoſtoli ſupplicium & mortem evitarunt, cùm herus tamen ad crucem raperetur, & ijdē etiam ingreſſi ad vitam æternam ſunt, Chriſti præceptis imbuti, Iuda ſolùm vtrinque excepto, homine illo nequam & perditionis filio. Cùm ergò hoc moris ſit ſacrorum ſcriptorum brevi & ſuccincta oratione, ſed plena & refertiſſima multa ſimul connectere ne dubitemus, aut labefaciamus fundamenta illa, quibus Iudaicæ ſalutis ſpes fundata ſit.

*Prima dubitatio de vi promiſſionū veterum.* ob. 1 — Rēsp. — *Inſtitut. lib. 2. cap. 10.* — *Ioh. 8. 56.* — *Scripturæ quomodo ſenſus diverſus.* — *Matth. 8, 17.* — *Ioh. 18. 9.*

Sect. 10. Sed aliud quiddam eſt quod in dubium vocatur: veris Iſraelitis promiſſæ amplę illæ benedictiones ſunt, Paulò ipſo eorum conſanguineo iudice. Omnes (inquit) qui ſunt ex patre Iſraele non ſunt Iſrael: & idem diſtinctionem adhibet Iudæi & circumciſionis:

*Alia dubitatio de veris Iudæis.* Ob 2 — *Rom. 9. 4.*

ciſionis: nam *Iudæus* (ait) *alius in manifeſto eſt, alius in occulto,* qui germanus eſt & verus Iudæus. Et circumciſio alia conſpicitur *in carne, & in ſcripto eſt, alia cordis & in ſpiritu,* quæ quidem circumciſio Deo probatur: Non inficiamur profectò diſcrimen hoc neceſſariò ponendum eſſe, nec contendimus omnes ex Abrahami ſtirpe prognatos, Abrahamo patre gloriari debere: ſic enim Chriſtus exprobrat, ſi filij eſſetis *Abrahami,* opera *patris veſtri faceretis,* & Auguſtinus in quadam epiſtola ſua Pauli citata allegoria illa de duabus matribus libera & ſerua, Iudæos, qui genere tantùm ſuo ſuperbiunt & efferunt ſe, ancillam matrem habere, reliquos vero licet ſanguine ab illis diuiſos, Iſaacho tamen Saræ filio affines eſſe demonſtrat. Licet, inquam, omnis Abrahami poſteritas promiſcuè paterna hæreditate locupletetur, tum tamen maximè agnoſcenda erit prophetici ſermonis energeia & vis, cum & cordis verè circumciſi inclinatio, & Iudaicæ cognationis profeſſio vna conſpirent & concurrant: quemadmodum Nathanielem eiuſdem familiæ agnatum & gentilem alloquutus eſt ſeruator, ecce *verus filius Iſrael, in quo non eſt dolus.*

Iudæus duplex. Rom.2.28. Iohn.8.39. In epiſtola ad Aſellicum Epiſcopum. Galat.4. Iohn.1.48.

Nunc confecto hoc negotio, quod nobis faceſſerunt obiectiones iſtæ, reliquos ſcripturæ locos euoluamus, qui ex Euangelio nobis delibandi & excerpendi ſunt. Me primò mouet magnifica illa Chriſti, & maieſtatis plena ſententia, qua Phariſæos increpat, *Dico vobis, quod non videbitis me deinceps, donec dicatis, benedictus ſit, qui venit in nomine domini.* Quæ verba etiamſi nos ſecundi domini aduentus commonefaciant, & Iudæos admiſſi in Chriſti conſilio reiiciendo ſceleris ſeuerè redarguant, illis tamen ſimul ingens ſolatium præbent, quod olim ipſi percipient, cum ſuaviſſimo pietatis guſtu deliniti ſumma lætitia Chriſtum adventantem expectabunt & preſtolabuntur, non conuiciis eum amplius lacerantes, nec metu exanimati, & contremiſcentes, ſed alta & alacri voce vnà cum reliquis Chriſtianis ovantes & tripudiantes, *benedictus, qui venit in nomine domini:* eiulabunt autem improbi, & plangent & vociferantes ad montes & Petras ſe iſtis verbis conuertent, *Cadite ſuper nos, abſcondite nos à conſpectu eius, qui inſidet throno, & ab ira agni.*

Sect.11. Secunda claſſis teſtimoniorum diuinorum è nouo teſtamento. Mat.23.39. Exultatio Iudæorum in fine ſæculi. Apoc.6.16.

Adijciamus huc porro Lucæ illam parabolam de filio prodigo Sect.12.

& nequam, quæ ſic conſuitur; Iunior natu filius, qui patrimonium ſuum à patre acceptum omni ſe dedens vitio, profuderat, ad ſummam pauperiem redactus & vitæ illius tædio fatigatus, ad patrem redit: ab eo poſt multas lachrymas humaniter excipitur: bouem ſaginatum mactat pater, & lætus ob filij reditum conuiuatur: filius ſenior & patris hæres hoc ægrè fert., & pro foribus ſtans præ angore animi non ingreditur: pater ipſe veluti à menſa ſurgit, & exeuns filium ſuum obſecrat vt intret, ſic ſuadens: *fili mi tu omni tempore mecum es, & quicquid meum eſt ad te redibit*. Iunioris filij conditione gentium ſtatus repreſentatur, maiorem natu intuens de Iudæis cogita. Gentibus ergo in domum Dei receptis, Iudæi iſtam ipſis ſuam fælicitatem inuidentes, offenſi & alienati proiiciuntur foras. Non amiſerunt tamen hæreditatem, quemadmodum, nec ſenior iſte frater de ſuo iure depulſus eſt: ſed vt iſtius, patris benigna voce & precibus, lenitus animus, & mutata mens eſt, ita non dubito, quin, quos vna domus ante capere non potuit, gentes nempe & Iudæos, qui ſibi mutuo faſtidio fuerunt, nunc ſimul non in vna regione, ſed in vna domo & angulo, ſi neceſſum fuerit, victitare poterint nouum ineuntes fœdus.

Parabola filij prodigi explicata.
Luc. 15. 31.
Gentes, filius prodigus.
Iudæi, fratris ſenioris ius habent.

Ille præterea locus mihi inſtar plurium eſt, vbi ſic Chriſtus ait, *Sunt mihi & oues aliæ, quæ non ſunt ex caula hac, eos etiam oportet me adducere, fietque totus grex vnus & vnus paſtor:* Iſte locus cum ex Ezechiele ſumptus ſit, & à Propheta de Iudæis prolatus, mihi videtur, præter id, quod gentium vocatio, hic apertè ſignificatur, ad Iudæorum etiam conuerſionem pertinere. Ille ſenſus Prophetæ eſt: vtraque gens Iſraelis & Iudæ, quæ à ſuis regibus ſeorſim gubernatæ fuerant, in duo regna prius diſtinctæ, nunc vnius regis legibus ſubdentur, & ſimul in vnum gregem coactæ, vna in montibus Iudeæ, id eſt, eccleſiæ paſcentur, & communem victum carpent, Iudæi vero ad hunc vſque diem, non oues ſed capræ ſunt, non collecti in gregem, ſed errabundi vagantur, non verum paſtorem ſequuti, ſed à ſuis bubulcis & opilionibus decepti, & in deuia de recto tramite abducti ſunt. Cum verò tanquam oues, errantes & perditæ, reperti iam & reducti ad viam, paſtoris vocem agnoſcere, & gregi fidelium è gentibus oriundo, turmatim admiſti ad Eccleſiæ ſtabula accurrere cæperint, tum demum, vno è gentibus

Sect. 13.
Iohn. 10. 16.
Cap. 37. 24.

Quando grex vnus erit totius eccleſiæ.

tibus & Iudæis conſtituto cætu & populo de illius Prophetiæ veritate penitus perſuaſum erit: *Vnus erit Paſtor & vnum ovile.*

Paulus ad Romanos dedita opera ſingula iſtius controuerſiæ capita, quæ in manibus eſt, pertractat; quem ego locum nunc ſi- Sect.14. Ad Rom.11.
lentio prætéribo, cum fuſiore ſermone indigeat, cuius latiorem tractatum in ſequentem ſectionem diſtuli. *Idem* tamen Apoſtolus, alibi ſic diſſerit, quod ego nunc attingam, *Vſque in hodiernum diem, cum legitur Moſes, velamen eorum cordi imponitur, ſed cum conuerſi fuerint ad dominum, tolletur velamen iſtud.* Nonnè hic pla- 2.Cor.3.16. Velamen Iudæis conuerſis tolletur.
niſſimis verbis tempus deſignat Apoſtolus & Propheta, in quo tegmen hoc, quo Iudæorum corda obvoluta ſunt, è medio auferetur. Quod ſi ergo hoc omni tempore, vſque ad ætatem noſtrum eorum animi cæcutiuerint & occæcati fuerint, certè feſtinabit & maturabit ſe lætus ille dies, cum cæcitati iſti medecina inuenietur.

Nunc in extremo loco addam illud, quod in Euangelio poſtremum eſt ex Apocalypſeωs libro deſumptum: Ita Apoſtolus Sect.15.
(dictante ſpiritu) ad Philadelphienſem eccleſiam ſcribere iubetur, *faciam, vt veniant* (nempe qui falſo ſe Iudæos iactitant, de quibus ante eodem verſu loquutus fuerat) *& adorent ante pedes tuos, & ſciant, quod ego dilexi te:* Eadem hic phraſis Apoſtolo Apoc.3.9. Iudæi adorabunt ante pedes eccleſiæ.
de Iudæorum pœnitentia diſſerenti obvia eſt, qua Prophetæ olim vſi ſunt in gentium conuerſionem intuiti. Sic enim Eſaias, *reges* (inquit) *nutritij tui erunt, & vultu in terram demiſſo incurvabunt ſe tibi, pulveremque pedum tuorum lingent.* Sic olim ergo Pro- Eſa.49.23.
phetæ, gentes ad Eccleſiam & domum Dei concurſuras præviderunt, quod ita plane effectum eſt, vt illi predixerant: ſic poſtea Apoſtoli de Iudæis vaticinati ſunt, quod eodem etiam modo conſequuturum credimus. Gentibus primo Iudæi exoſi erant, quorum religio & cultus poſtea tamen illis placuit: ſic nunc Iudæi Chriſtianos hoſtili odio proſequuntur, cum quibus tandem redibunt in gratiam, Deo ſuo reconciliati.

Sect.16. Iudæi non recenſentur inter Eccleſiæ hoſtes præcipuos.
In iſto porro volumine, in quo nunc verſamur, hoc paſſim obſeruari & animaduerti debet, quod cum in eccleſię hoſtib' & inimicis delineandis totum exprimatur, nuſquā tamen in hoc numero Iudæi

percenſeantur. Viuis coloribus Romani illi parricidæ & tyranni depinguntur, quibus ſeptem capita & decem cornua tribuit Apoſtolus, ſic veluti digito monſtrans & vrbem ipſam, quæ arx eſſet & caput imperij, quæ in ſeptem colles, in ſublime elata, recumbit, & Roma nuncupatur, & amplam ſimul poteſtatem & ditionem, qua armati vniuerſam orbem vexarent & premerent: Alia etiam beſtia conſpicitur è terra aſcendens, agno ſimilis capite & cornu, ſed os aperiens tanquam draco: hic etiam ſuis titulis pontifex ille Romanus, eccleſiæ peſtis inſignitur, qui non à Deo conſtitutus eſt, ſed ſuo faſtu & dolo tanquam è terræ latebris & ſpelunca aliqua prodiens, ad tantum ſuperbiæ faſtigium aſpirauit & euectus eſt, ſimulatam religionis tanquam agnus prætexens ſpeciem, & Chriſti ſe amicum fingens, ipſum tamen veterem draconem diabolum verè imitatus.

Rev.13.1.& 17.9.
Romani imperatores eccleſiæ hostes.
Apoc.13.11.
Pontifex Romanus agno cornuto comparatus.

Locuſtas etiam ex abyſſo ingenti numero emanantes deſcribit Apoſtolus, qui exeunt cum fumo multo: Tales hæretici ſunt, & omnes illi Antichriſti ſatellites & miniſtri, monachi, Ieſuitæ prædicatores circumforanei, fratres mendici, & conſimiles, qui pro Antichriſti regno pugnant, quorum profeſſio & doctrina vana, vt fumus, & plane diabolica eſt, quam abyſſus, vt Aetna cineres & prunas, effundit & eiaculatur. In cæteris etiam ſumma conuenientia eſt: Locuſtæ numero, viribus, celeritate, equis alatis, & ad bellum inſtructis comparantur: ſic illi multitudine numerum excedunt, & omnes complerunt angulos, audaces & immorigeri, vt equi indomiti. Humana facies, ac capilli mulierum illis tribuuntur, ſic iſtis ſimulata humanitas, effæminata mollities, & libido effrænis ineſt: coronas geſtant, ambitioſi ſunt: loricis ferreis induti, principum armis & potentia ad ſui defenſionem abutuntur: Leoninis dentibus conterunt, mandunt, & molunt pauperes, præ auaritia ſua nemini parcunt: In caudis ſcorpionum aculeos occultant, ſic iſti homines incautos hæreſeon ſuarum ſtimulis pungunt & cruciant: ſic audacia, libidine, ambitione potentia, hypocriſi, auaritia, hæreſi, grex iſte locuſtarum truculentus, non vt vmbra aut typis, ſed tanquam ad vivum expreſſa imagine deſcriptus eſt.

Sect.17.
Reuel.9.8,9,10.
Locuſtarum ſpiritualium, i. ſatellitum Antichriſti deſcriptio.

Tres illæ ranæ, quæ ex ore draconis exiliunt nõne ſpiritus illi impuri ſunt, qui principes imprudẽtes laceſſunt & incitant ad iniuſta aduerſus ſãctos prælia: puta papæ legatos à latere, vulgo Cardinales dictos

Sect.18.
Apoc.16.13.

dictos, qui tanquam ranæ coaxant, & in aures principum continuò conſilia pernicioſa ingerunt, & inſuſurrant, rauco ſuo ſtridore noctes & dies moleſti, non multùm ranis illis diſſimiles, quæ in regis Egiptiaci cubile, cõclave, menſam, lectum, obrepſerunt, & nullo modo ab ingreſſu arceri vel prohiberi potuerunt? Mentio etiam infertur cuiuſdã gentis, quæ antiqua gaudet Gog & Magog nuncupatione, Turcarũ tyrannis, qui Orientẽ totum vaſtarunt & populati ſunt, non obſcurè hic indicatur: nam primò in ipſo nomine generis & nationis ipſorum veſtigia apparent. Magog enim pater Scytharum eſt, qui aliquando in Syriam expeditione facta, civitatem quandam ſuo nomine condiderunt, quæ Syris diu Magog appellata eſt; & vndè alias profecta, ſe tanta multitudine in orbem in hominum perniciem fudit Turcarum ſæva & bellicoſa gens, quam è Scytharum finibus? *I*ſti porrò illi ſunt, qui latitudinem terræ occupant, id eſt, ex ſeptentrionis anguſtiis, & montium angulis & clauſtris erumpentes, maximam iam terræ partem ad imperium ſuum adiecerunt. Iſti denique civitatem ſanctam ambiunt, à quibus iam multos annos vrbs illa Iudæorum metropolis domita & poſſeſſa, penitùs in ipſorum plenam ditionem venit. Atque ita claſſis iſta Chriſto adverſa & inimica, tam ipſius Antichriſti, quàm confœderatorum aſpectui noſtró exponitur: hîc *I*udæi tamen caput ſuum non exerunt, qui crudelitate tamen & malitia (quales hodie ſunt) non multo inferiores eſſent, ſi viribus & potentia pares forent. De iſtis verò aliter Deo conſultum & deliberatum eſt, vt cum abſterſa oculorum caligo fuerit, ipſi ad cœtum piorum convolent, à quo ſeparati ad tempus & diſgregati ſunt: Nunc, vt concludam hunc locum, hoc etiam aliquid momenti habet, quod, cùm inter vetera Prophetarum ſcripta vetuſtæ illæ nationes, *paras, Cuſh, Put, Gomer, Togarma, Meſhech, Tubal, Cittim & Aſſur*, id eſt, *Perſæ, Æthiopes, Cyrenæi, Iberi, Cappadoces, Macedones, Itali*, perpetuas cum populo & Eccleſia Dei inimicitias exercere reperiantur, & in noviſſima prophetia, Gog & Magog Turcæ nempe oriundi è Scythis, & Arabia & civitas illa, quæ ſpiritualis Sodoma, Egyptus, & Babylon eſt, & eadem Roma eodem numero cenſeantur: vtrobique tamen domus Dei ſanctæ nationis titulis & nomine conſpicua redditur, & in lucem prodit: vt antiquitùs Heberi, Semi, Iſraelis nominibus eccleſia deſignata eſt, recentiùs, ſanctæ civitatis, Sionis, novæ Ieruſalem

Cardinales Pontificij ranæ draconis ſunt.

Apocalyp. 20.8.

Turcæ nominibus Gog & Magog intelliguntur.

Turcæ è Scythis oriundi.

Ezech. 38. 2, 5, 6.

Veteres Iſraelitarum tituli adhuc de Eccleſia vſurpantur.

aptiſſimis typis & ſymbolis adumbratur: vt intelligamus gentis adhuc ipſius extare reliquias, nec penitùs ipſam è favore omnipotentis excidiſſe, cum nomen eius è ſacro codice non expunctum aut deletum ſit, cum impiorum tamen, qui perditioni deſtinantur, memoria cum ipſo ſonitu peribit, tanquam arbos radicitus evulſa, quæ nuſquam comparet.

Sect. 19. Non opus habeo, vt pluribus pugnem ſacri codicis teſtimonijs: Neſcio quos aliorum animis ſtimulos indent loca iſta, quæ ſelegerim, mihi certè certiſſimam iſtius rei de qua agitur perſuaſionem impreſſerunt: Quibuſdam fortaſſis videbor in ſacros fontes audaciùs pedem intuliſſe, ad quos ſatis fuiſſet vel intendiſſe digitum; qui tamen ſi imum vadum mecum pertentunt, non in ſummis tantùm aquis natent, citò eos (vt ſpero) ad meas partes traxerim. Neq; ego tamen eo animo deſertæ iſtius gentis patrocinium mihi aſſumo, & in tam dubia lite me advocatum præbeo, vt eorum partibus favendum vel ab opinione, quæ de eorum nequitia, qua adhuc ſqualent, verè concipitur, recedendum putem, ſed cum tempeſtatem illam nobis iam imminere intelligamus, qua illis prædicanda & annuntianda fides ſit, ſedulò caveamus, nè nos à religione deficientes deſeramur, & illi noſtro loco inſtaurentur denuò, ſicuti nos ipſis in Dei domicilio ſucceſſimus, cùm illi deſciverant prius. Nunc traducto ſermone ad alium locum nos conferamus.

Quorſum Iudæorum patrocinium ſuſcipiendum ſit.

# CAPVT III.

## *In ſequenti tractatu à capite ad calcem retexitur divinus ille Pauli locus, undecimo capite ad Romanos comprehenſus.*

Sect. 1. PErcurrimus iam ea loca ex vtroque bibliorum volumine ſelecta, quæ ad propoſitum noſtrum conducere, & momentum afferre viſa ſunt: vnam tamen ſacri codicis paginam conſultò prętervecti ſumus, eam divina ſapientia refertiſſimam, & ad id quod quærimus aptiſſimam, quę

in

in Pauli illa ſanctiſſima ad Romanos epiſtola ſe obviam dat, quam in hunc locum reiecimus, vt in eius explicatione diutiùs, vt convenit, oratio mea inſiſteret, non alterius cuiuſpiam rei intervenientis occurſu retardata. Ibi in vndecimo capite de tota hac controverſia deliberat Apoſtolus non fortuitò, & ſubitò, ſed certo & definito propoſito in eam deſcendens. Duplicem ob oculos noſtros ponit Iudæorum ſtatum (vt eo ordine ſingulas rationes retexam, quo ab ipſo Paulo collectæ ſunt) vnum, qui præſens illud tempus, cùm ſcripſit hoc, reſpiciebat: alterum qui venturis ſæculis ſe patefaceret: Ille reiectæ & repulſæ nationis miſeriam, alter reſpirantis denuò & ad Deum reuertentis fælicitatem proponit. Quemadmodum ergò dum exulabat ille populus & pellebatur è conſpectu Dei, pauci tamen latitantes inter reliquos, illi adhæreſcebant, ita eveniet, (vt prophetam agens apoſtolus innuit) vt olim tota gens in Dei ſinum ſe recipiat, etiamſi pertinaces aliqui & adhuc cęci ſe in luto & cęno volutarint. Sic ergò comparatio connectitur, tum maxima pars repulſam tulit, paucior numerus in Dei cultu perſeverabat, nunc pleriq; ex ipſis emollito corde manus iungent cum Chriſtianis, abiecti tantum erunt peſſimi. Bimembre ergò totum caput eſt, in duas iſtas ſe partes ſecans: prius membrum dilatatur ad decimum verſum, quod ſuperſtes eſt vnà cum ipſo capite terminatur: In vniuerſali illa reiectione non permanſiſſe quoſdam, veteri non renuntiata fide, ſuo exemplo primo convincit: deinde ſua tempora cum Eliæ ætate, cuius querelam de bonorum paucitate intertexit, conferens, aliquod populi Dei relictum reſiduum ſuadet, vt propheta de ſeptem millibus piorum ſervatis reſponſum accepit: tertium à divina voluntate argumentum petit, eam ita vrgens, vt oſtendat fieri non potuiſſe, vt omnes Iudæi divino favore privarentur, cùm de quorundam ſalute æterno ſuo edicto decreviſſet, ſic enim ait, Quid igitur, id, quod quærebat Iſrael non invenit? electio autem invenit, reliquię verò eorum excæcatæ ſunt in cordibus ſuis.

Rom. 11. Analyſis totius capitis à capite ad calcem.

Duplex Iudæorum ſtatus tenendus.

Rom. 11.

Rationes, quibus convincit Paulus non periiſſe omnes Iudæos.

1. Verſ. 1.

2. Ver. 2. ad 5.

3. Verſ. 7.

Alterā iam iſtius ſentētię aſſumens partē, nempè amiſiſſe Iudæos certos quoſdā hæreditatē ſuam, duplici teſtimonio Iſaię & Davidis munit. Comparat igitur Iudæos reprobos & refractarios hominibꝰ diurno labore exercitis, quorū iam manibꝰ opere quotidiano attritis callum ita obductum eſt, vt iniectos aculeos omninò non perſentiſcant, ſed ſine magna moleſtia pugno contrectēt & comprimant.

Sect. 2.

Verſ. 7. in fine. Iudæorum reproborum conditio qualis.

Ita conſuetudine peccandi illorum ſic occaluerunt corda, vt nullo tanto impetu doctrinæ feriri vel penetrari poſſent. Eos etiam Iſaias ſomnolentis hominibus ſimiles facit, qui ſomno indulgentes, nec aures arrigere, nec ſupercilia elevare poſſint, vt docentem attentè audiant. Sic iſti ſpiritu ſoporis correpti in pietatis ſtudio proficere nequeunt. Pſaltes verò duplici ſimili perverſam iſtam & ſceleſtam generationem deſcribit: Tanquam aves ſunt, quæ dum avidè in terram deſiliunt cibum petituræ, imprudentes cadunt in inſidias, & retibus capiuntur: vel vt gulæ dediti, qui ſibi in epulis temperare nequeunt, vomitu menſam & fercula turpiſſimè contaminant, & ſic abutuntur ad necem ſuam, quæ comparata erant ad ſanitatem: Ita Iudæi rebelles & immorigeri, dum beneficiis Dei rectè vti non didicerunt, eiſdem illaqueantur, & rei tenentur judicij: Sicut deniq; qui aut ætate decrepiti aut caſu mutilati, vel morbis fracti ſunt, ad nullum opus habiles vel idonei putantur; haud ſecus & iſti vitioſis ſuis moribus ita degeneres facti ſunt, vt acſi gibboſo dorſo vel alia partis alicuius imbecillitate laborarent, omninò ad pietatis officia invtiles videantur.

*[Margin: Iſa.6.9. — Pſal.69.22. — Verſ.9. menſa eorum ipſis ſit in laqueum — Verſ.10. Femur eorum omni tempore ſit curvum.]*

Sect.3.

Tranſit iam Apoſtolus ad ſecundam generalem capitis theſin, de recipienda circumciſionis gente, quam Chriſto in terris agente, repuliſſe à ſe & amandaſſe (ipſorum ſcelere laceſſitus) viſus Deus eſt: Denſiſſimo agmine plurimæ hic congeruntur rationes: non pigebit eas omnes tanquam per tranſennam inſpicere: Orditur primò à fine reiectionis, ob quem poſthabita iſta natio & neglecta fuit, non vt peſſum iret, & penitùs labefieret, ſed vt ab ea ſpreta & contempta ſalutis lux gentibus affulgeret, quæ ad ipſas non perveniſſet, niſi illi priores recuſaſſent. Neq; tamen lapſi ſunt Iudæi, vt ethnici tantùm iſto beneficio ditarentur, ipſi redderentur indigentiores, verùm vt dura & lapidea gens aliorum hominum rudium & imperitorum converſione provocata, miteſceret paulatim & frangeretur, vt carendo magis quàm fruendo aliorum experientia edocta, non ſua, theſaurum illum digno precio æſtimare tandem diſceret, quem prius reſpuiſſet: Benè Auguſtinus in hunc locum, illa Apoſtoli verba arripiens, *Nunquid ergò deliquerunt, vt caderent*, ſic ajt, Non ita deliquerunt, vt caderent, id eſt, tantummodò caderent, quaſi ad pænam ſuam ſolùm, ſed vt hoc ipſum, quod ceciderunt, prodeſſet gentibus ad ſalutem: Verum quidem hoc iſtius patris

*[Margin: Verſ.10. — Primum Pauli argumentum pro vocatione Iudæorum à fine. — Habetur inter ſententias quas ſcripſit in hanc Epiſtolam.]*

tris eſt, ſed parciùs prolatum: de vno enim tantum euentu, qui Iudæorum abiectionem conſequutus eſt, monet, ſilens de altero: Impegerunt Iudæi, & collapſi profectò ſunt, non ſolum vt gentes, ipſis humi proſtratis, eorum loco ſurgerent, ſed vt illi rurſus, veluti extenſis gentium pedibus erectarum, manibus ſe à lapſu recuperarent. Quid enim aliud illud exprimit, cum additur in contextu ad prouocandum eos ad æmulationem? In quem finem Iudæi reiecti ſunt.

Progreditur deinde, & ita rationem nectit, ſic à minori ratiocinatus: *ſi lapſus eorum fuit diuitiæ mundo, quanto magis plenitudo erit?* & rurſus, ſi reiectio ipſorum reconciliatio mundo, quid conuerſio eorum, *niſi vita à mortuis*? firma profectò & ſolida ratio eſt, duplici fulta ſimilitudine. Nam quemadmodum ſe agricola non decipi, aut de ſpe ſua omninò depelli putat, vbi ariſtæ iam flaueſcere cœperint, & falcem ſibi apponi cupiant, etiamſi vnà noxiæ & ſteriles herbæ matureſcant & metantur; multo tamen vberius labores ſuos compenſatos agnoſcit, cum horrea vſque ad ſatietatem ſegete repleantur, omni fece purgata: & ſicuti maius quiddam ille effeciſſe videtur, qui à morte quempiam ad vitam reuocauerit, quam qui inimicitiis diſiunctos, ad pacem & concordiam compulerit: ita profectò multo maiorem mundus lætitiam concipiet, cum Iudæorum contumacia tanquam graueolenti herba radicitus euulſa, eccleſia paſſim fructu ſuo abundet & veluti luxuriet, quam ſi vicini quaſi agri contagio læſa lentius pedem efferret: & opus quam magnificum & planè admirandum erit, cum illi Dei populo aſſocientur, qui ne illius conſpectum ante ferre potuerunt. Hoc grati animi, & accepti memoris beneficij certiſſimum eſt indicium, ei bene velle cuius opera ſuæ res creuerint, & fælicia illi omnia precari, à quo earum ſucceſſus pendeat: An quiſquam ergo Chriſtianus extiterit, qui ſummo non perfundetur gaudio, ſi bene Iudæis ſua ſors ceciderit, quorum periculo & naufragio ipſe ſalvus & tutus è mediis fructibus emerſerit? Sect.4. Verſ.12.15. Secundum argumentum à minore. Lætitia mundi ex conuerſione Iudæorum.

Pergit Apoſtolus Iudæorum reſtitutionem ex Abrahami & reliquorum patrũ conditione ſtrenuè arguens, ſic enim ego radicem & maſſam cum Chryſoſtomo interpretor. Nam quemadmodum oblatis frugum primitiis, cæteros licebat tuto fructus coquere & pinſere, illis vero nõ perſolutis, nihil illis, quod ex terræ vbertare rediret, ſalutare fuit & vtile, ſed pollutum & impurum: & vt dum radix Sect.5. Tertiũ à parentum conditione.

dix repullulat & regerminat, vnà etiam reviviſcent ramuſculi & dum truncus viget & ſuccum habet arbor ipſa non defloreſcet, ſic ex ſancta patrum propagine ad Iudæos poſteros aliquod divinæ promiſſionis ius veluti ſuccus quidam dimanat & derivatur: *Intuemini* (inquit) *Propheta, in rupem vnde exciſi eſtis, & in cavum foveæ vnde effoſſi eſtis:* eiuſdem lapicidinę facile poteris lapides agnoſcere, ex eodem puteo vel hauſta aqua vel effoſſum lutũ ſe citò prodit: ita de filiorum conditione, patrum inſpecta fide & probitate, facilè & in promptu eſt iudicium. Quod non ita intellectum velim ac ſi parentum pietate proficerent filij, cum nec eorum vitiis ligentur. Nam & probis parentibus naſcitur nonnunquam indigna proles & impia, & è ſceleſta familia filij exeunt interdum bene morati: ſed à divina promiſſione rei totius pendet momentum & pondus, cum non patrum ſolum ſe Deum profeſſus ſit, ſed eorum poſteritati etiam ſe voluntario gratiæ vinculo abſtrinxerit. Sanctitas enim parentum credentium ita in filios etiam operatur, vt non amplius polluti, ſed puri habeantur, vt definit Apoſtolus: non quod fidelium genitorum pietas, quæ ipſis non natura inſita fuit, ſed poſtea cælitus indita, ad filios vnà cum vita & ſanguine propagetur, cum natura nihil aliud ab ipſis vberibus, quam peccatum ſugant & imbibant, & quid regeneratione opus eſſet, ſi in incunabulis vagientes pietatem iam & fidem ſaperent? Sed quia Deus, qui parentibus propitius fuerat eandem miſericordiam filiis non in Sacramentis ſolum offert & pollicetur, ſed in reliquo vitæ curſu præſtare paratus eſt, ſi à piorum parentum veſtigijs non deflexerint. Quamobrem reſtat nec adhuc Deum oblitum antiqui ſui amoris erga Iudæos, quem plenius patres eorum guſtarunt, ſi reſipiſcere iam tandem voluerint, & ad veterem illam planam & tritam parentum ſemitam ſe conuertere, ſic iam perſpicua redditur & firma iſta Apoſtoli ratio, quæ à fœlici Abrahami conditione exorſa, in Iudaicæ ſalutis ſpe & exſpectatione terminatur.

Iſa.51.1.

1.Cor.7.14.

Ierem.6.16.

Sect.6.
4. Argumentum.
V.23. à Dei potentia.
Math.3.9.
Pſal.29.6,7.

Idem ſe Apoſtolus novo argumento evincere poſſe putat à Dei potentia petito: potens eſt enim Deus (inquit) eos iterum inſerere, potentia Dei infinita eſt, & difficillima ſuperat: Abrahamo poteſt ex ipſo pulvere filios & lapidibus ſuſcitare: & qui aquas è rupe percuſſa exire iuſſit, qui voce confringit cedros, & profundos aquarum alveos retegit, idem hominum corda emollire & ſubigere poteſt,

poteſt, niſi ſaxo duriora, magis elata quam cedri, aut minus quam imum pelagus, pervia. Qui leonum furorem, veluti frænis iniectis cohibere, viperarum morſus ſanare potuit, qui aſinina labia ad ſermonem conformauit: num non ille potis eſt cordis feritatem plus quam leoninam domare, virulentam eius & venenoſam malitiam expellere, ſimplicitatem planè aſininã docilem & ſcientię capacem efficere? Beniamin tribus ampla & populoſa, ad miram paucitatem civili bello redacta fratrum adiuta conſilio, & nomen & numerum citò recuperavit: regia familia ab Athalia pene vaſtata & extirpata, in vno puero Iehoaſh, Iehoiadæ prudentia revixit & ab interitu vindicata eſt: ſic templum Iudæorum humo fere æquatum & ruinis miſerè lacerum, Zorobabilis induſtria ſurgit rurſus & reſarcitur: Quid ni etiam & Iudaica natio, vel tanquam recens ædificata domus, aut ſtirps antiqua excitata è pulvere, aut vt arbos repullulans, Dei tanquam ſummi architecti, iuſti vindicis, & peritiſſimi agricolæ manu, caput ſuum exereret, nomen & dignitatem obtineret, & vires ſuas recolligeret? Cum enim omnipotens & miſericors Deus & voluntate propenſus ſit ad opem huic genti inopi & iacenti ferendam, ſi ipſi voluerint, & omni potentia armatus ſit ad hoc opus, quid iam abeſſe poterit ad operis tanti perfectionem?

Iud. 21.
2. Reg. 11.
Zach. 4. 10.

Nec ſolum docet Apoſtolus quam poſſibile ſit, vt Iudæi vocẽtur diuinæ maieſtatis vim & potentiam vrgens, ſed quam veriſimile ſit, & quanta id probabilitate nitatur, ſequentibus verbis planum facit, à minore ſic raciocinatus. Nam ſi peregrini ex oliva ſilveſtri rami, in oleam bonam præter naturam ſuam inſeruntur, quanto facilius nativi ſurculi cum ſua arbore in vnum corpus coaleſcere, & veluti in gratiam redire poterunt: ſic aurum auro miſcetur & temperatur optimè, æris & auri miſtura & compoſitio inæqualis & inconcinna eſt. Omne animal diligit ſimile ſibi, & omnis caro congregatur cum ſuo genere: ſi ſanari aquæ amaræ poſſint, quæ ſua natura dulces ſunt, caſu aliquo effectæ ſalſiores, priſtinam ſuam dulcedinem citius multo recuperabunt: ſi domus paterna peregrinis & advenis patet, filiis & domeſticis multo magis ſui copiam facit. Quamobrem ſi gentes, rami degeneres, vt viliora metalla, peregrinum pecus, vt hoſpites deniq;, in Eccleſiæ gremium receptæ ſunt, quid impedit, quo minus Iudæis, genuinis plantis, ſelecto gregi, pretioſo metallo, domeſticis, non peregrinis ad Chriſti

Sect. 7.
Quinta ratio è verſ. 24.
Eccleſ. 13. 18.
Iob. 31. 31, 32.

 domum

domum aditus pateſiat.

Sect.9. Sexta ratio è Prophetarum teſtimoniis.

Iſraelis porrò reuerſionem vltimis diebus præſtandam, ex Prophetarum prædictionibus demonſtrat Apoſtolus. Prius teſtimonium ex Iſaia decerptum eſt, paululum verbis inuerſum, & mutatum, ſenſu autem integrum & incorruptum. Nam id moris eſt Apoſtolorũ, vt paſſim videre eſt in Euangelio, non tam verba cuiuſpiam Prophetæ recitare, quàm ſẽſum ſequi, ordinẽ mutant interdũ, ſententiam eandem ſeruant. *Veniet* (inquit Propheta) *ex Sione liberator, & auertet iniquitatem à Iacob*: Alter locus ex Ieremia deſumptus eſt, qui citatus etiam non ad verbum redditur: paucioribus enim verbis coarctat Apoſtolus, quod pluribus ibi dilatatum eſt: hic etiam inducit mentionem noui fæderis cum Iſraelis domo feriendi, cum auferet Deus peccata eorum: Non dubium eſt, quin tum oraculi iſtius virtus ſe exerere cæperit, cum exiguis quibuſdam fidei igniculis Iudæorum quorundam pectora exarſerant, nondum è terris ſurſum raptis Apoſtolis, & latius tum ſparſa ſit, cum ethnici ad Chriſti epulas inuitarentur, omni tamen controuerſia caret, tum demum vocem iſtam propheticam ſe veram probaturam eſſe, cum plebs Iudaica & ſanguine cognata, & fide etiam patribus affinis veluti apertis foribus introierit ad Eccleſiam.

Mos Apoſtolorum in citandis Scripturis.

Iſa.59.20.

Ierem. 32. 24.

Redemptio Iudæorum quando completa & perfecta erit.

Sect.10. Septima ratio à diſtinctione v.28.

Procedit adhuc Apoſtolus in inſtituto ſuo, & diſcrimine quodam allato, aperte indicat, quomodo Iſraelis filij è fauore Dei exciderint, & qua ratione eos denuo amplexetur. *Secundum euangelium* inimici ſunt, non quod verbum Dei inimicitias pariat, ſed Iudæi inſcitia & inſolentia ſua furentes, tanquam furiis agitati ſalutare Chriſti nuntium è finibus ſuis exterminarunt, quod peregrini oris ſuis appulſum benigne ſalutarunt, & hoſpitio ſuo dignati ſunt. Deo tamen dilecti ſunt patrum cauſa, non quia via nobis illico ſtrata erit ad ſalutem, ſi in certo tramite inceſſerint parentes, verùm quia proauis & ipſorum poſteris ſolennis facta promiſſio ſit. Nec tamen credendum eſt, neminem reſpuiſſe deum ex hac natione, cum ſic inducitur, Deum pœnitere non poſſe electionis ſuæ: multi enim proculdubio, etiam è viſceribus & medulla Iudaicæ cognationis nati, à Deo repulſi & reiecti erant: ſed vniuerſam nationem tanquam corpus aliquod intuetur, quod etiamſi, quibuſdam male affectis partibus mancum ſit & claudicet, ipſum tamen

Tota Iudæorum natio nõ repudiata eſt.

vitam

vitam ſuam & vires tuetur & retinet. Ne quis ergò de ſingulorum quorundam hominum vocatione hæc dicta cogitet, ſed ad totam ipſam gentem recuperandam & veluti reſarciendā pertinere putet.

Vltimo in loco à pari proportione ratiocinatur Apoſtolus, Iudaicæ libertatis ſtrenuus defenſor & patronus: Quemadmodum enim primò ethnici foras eiecti erant, omnis veræ cognitionis expertes, poſteà verò ad Deum confugerunt, Iudæorum loco aſciti, ita etiam aliquando eventurum eſt, vt ipſi rurſus Deo obligentur, vbi priſtinam cordis cæcitatem excuſſerint, eandem adepti miſericordiam, qua privati antè fuerant, quæ ab illis repulſa ad gentes redundavit. Mutuas autem iſtas Iudæorum & Ethnicorum viciſſitudines non ſine ſummo conſilio conſtitutas ne ſuſpicari quidem debemus. Nam ſi ſibi conſtitiſſent Iudæi, nimium fortaſſis ſibi & ſuis viribus confidiſſent, & ſi perpetuo à republica Christiana exilio mulctati fuiſſent alienigenæ, Dei ſeveritatem incuſaſſent. Ergo vt alij Dei miſericordiam faterentur & agnoſcerent, alij ſuæ dignitatis opinione non tumeſcerent, & frœnare circumciſos voluit Deus peccati coarguens, & præputij hominibus animos addere, dum ad vitam via monſtraretur. Nec tamen illata populo Dei iniuria eſt, nec cæco orbi occaſio data, cur in tam conſpicua gentis illius calamitate & ſolitudine triumpharet & debaccharetur. Prima enim religioſa natio divini cultus profeſſione dotata eſt, iſta dote, veluti fecundis nuptiis ditata eſt prophana idololatrarum gens: vt planius dicam, prima Iudæorum vocatio fuit, erit eorum & vltima: vetuſtiſſima Gentilium deſertio & deſolatio erit & noviſſima. Bis ergò Hebræi Deo reconciliantur: vnæ iam vices anteactis ſeculis prætenerunt. Aliud verò tempus adhuc reſtat Moſaicæ inſtitutionis diſcipulis, in quo legendi iterum ſyncerae religionis floſculi ſunt: ſemel tantùm eos repudiatos & divortium paſſos legimus. Cæteri verò ſemel atque iterum ſocietate piorum interdicti ſunt: vetuſtiſſima nempè atavorum memoria, cùm totus mundus altiſſimo ignorantiæ ſomno ſopiretur: & rurſus ætate properanti iam, cum ſimulata Christianorum ſanctitate fugata electionis gratia ad miſeros & inopes Iudæos perferetur: vnica verò illis converſionis opportunitas conceſſa eſt. Quæ quidem occaſio mox poſt Christi aſcenſionem oblata eſt, multos poſteà annos in vniuerſo orbe dominata, & nunc ferè terminata eſt & perducta ad exitium niſi la-

Sect. 11.
Octava à proportione.
Verſ. 29. 30.

Omnes tam Iudæos quàm Gentes ſemel reiectos oportuit.

Iudæorum ad Deum converſio prima & vltima gentium etiam reiecto prima erat, & erit noviſſima Gentes bis reiectas oportet.

Iudæi ſemel tantum reiecti, & bis reconciliati Deo.

baſcenti iam inter nos & deferventi pietati tempeſtiva noſtra & matura reſipiſcentia occurſum ſit. Sic iam decurſus iſte locus eſt, qui ſacræ Scripturæ teſtimoniis nititur: quo à tergo relicto, ad ſequentia nobis feſtinandum eſt.

# CAP. IIII.

## *In quo præter ſacroſanctæ Scripturæ allatam ſententiam, alij etiam Scriptores tum veteres tum recentiores non tam teſtes veritatis, quæ teſtimonijs non eget, quam eius interpretes adhibentur, quæ involuta interdum explicari debet.*

Sect.1. EGo non eo animo patrum teſtimonia in hoc
negotio citanda iudicavi, ac ſi ſacræ Scripturæ
maieſtati ipſorum authoritate aliquid ponderis adjici vel accedere poſſe putem: Quid enim
Ierem.23. palea ad triticum, quid ſcoria ad argentũ purgatum: quid hominis vox, cuius halitus in na-
Iſa.2.22. ſo eſt, ad verba Dei præpotentia, quæ cælis ipſis
diuturniora ſunt? Memini, quid Auguſt. *Non pro noſtra ſententia ita dimicandum eſt, vt eam velimus ſcripturarum eſſe, quæ noſtra eſt, cum*
De Geneſ.18. *potius eam, quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.* Sed duplici ratione inductus eorum mentionem facio, tum vt novitatis ſuſpicione careat & liberetur hæc defenſio noſtra, cum antiquiſſ. ſcriptores in meã ſententiã pedibus iviſſe perſpicuũ omnibus erit, tum vt ſcripturæ ſenſus à me detorti aut deprivati opinionẽ removerẽ, cum non mea me coniectura fretũ, ſed aliorũ interpretationes ſequutũ eſſe apparebit. Duplex, vt opinor, hæc conſideratio nobis apportabit cõmodum: nam & noſtrates iſto modo animum inducent, vt in huius rei viſcera, veteribus proviſæ, & prioribus ſeculis receptæ, penitius introſpiciant, cum tot poſt ſecula eam renovatam videant: & Iudæis, ſi huc animũ aduertere voluerint, facilius etiam perſuaſum erit, cùm intelligent, nos eorũ converſionẽ, non tanquã oſcitantis & obſcuri homũcionis ſomniũ obtrudere, ſed idẽ à nobis decantari ſenſerint, quod alij tanto ante præcinuere & prædixerũt.

Sect.2. Græcorum ſententiã (vt ętate priores ſunt & reliquos præcedũt) ita ordine & loco primã introducã. Originem ergò primo mearum patrium

partium teſtem & ſtrenuũ aſſertorẽ evoco. cui tantũ tribuit Eraſmus, vt non dubitet eum decem orthodoxis interpretibus anteponere, exceptis quibuſdã fidei dogmatib⁹. Id ego affirmare non audeo: Quid enim magis in interprete ſpectatur, quã vt ad fidei regulã cõmentarios ſuos exigat? nec turpius ab eo quicquã cõmitti poteſt, qui dum locos obſcuros interpretatione ſua illuſtrare velit, à fidei analogia aberrat & abducitur: ſed videamus quid pro nobis faciat canus iſte & antiquus ſcriptor: Qui ſic in locũ quendam ad Rom. cõmẽtatur: *Abſurdũ* (inquit) *hoc videretur ſi vt offenſio Iudæorũ reconciliationẽ mundo donaverit, aſſumptio ipſorũ non maius aliquid mundo & præſtantius largiretur: tunc enim erit aſſumptio Iſrael, quãdo iam vitã mortui recipiũt, & mũdus corruptibilis incorruptib. fieret.* Nempè exiſtimat graviſſimus author, in extrema ſecula caſurum hoc negotium, & verſus mundi finẽ vocandos Iudæos: idq; hoc argumento evincit, quod venturũ ſit ſolenne cõmunis lætitię tẽpus, quã Gentes appropinquante Iudæorũ ſalute concipient: in quorum enim interitu Gentiles vitã conſequuti exultarunt, quãto lætiores erunt, ſi ſecum vnà vivant, qui ſibi ſuæ vocationis cauſa extiterunt. Athanaſius ſcribens in eundẽ ferè locũ, ſic habet, prius ob Gentilium contumaciam ſaluos fecit Iudæos, rurſum Iudæis minus obtẽperantib. Gentes ſalvi ſunt facti, his ſalutẽ adeptis, æmulatione impulſi Iudæi ſalutẽ noviſſimis ſeculis vendicabunt, ita vt omnes Dei miſericordiã aſſequantur. Hæc ſynceri patris opinio eſt, quæ præcipua attingit iſtius controverſiæ capita: de perſonis, omnes deſignat Iudæos, de tẽpore docet, hoc eventurũ in fine ſeculi: modũ deſcribit, Iudæi Gentiũ erunt æmuli, eorum ſcilicet exemplo allicientur ad fidem. Chriſoſtomus etiã à noſtris partibus ſtat: illa verba prophetæ arripiens iſtud erit teſtamẽtũ, quando abſtulero peccata eorum, ſic ait, Quod cùm promiſſũ ſit, illis verò nondũ obtigerit, neq; dum per baptiſmũ peccatorũ remiſſionẽ adepti ſunt, omnino neceſſũ eſt vt adhuc futurum ſit: quod ſi ergò ex patris iſtius ſententia Iudæi & baptiſmũ circũciſionis loco accipiẽt, & per baptiſmũ peccatorũ ablutionem, vniverſa gens Chriſti nomini conſecranda eſt.

Annotat. in Galat. 2.

Origen. in 11. ad Roman.

Athanaſ. ad Roman.

Chryſoſt.

Latinos patres nunc evocabo: Hieron. ſic, ſi illius modo cõmentarii ſunt, qui ſub illo nomine apparent, hoc oſtendit Apoſtolus, quod intrante in fidẽ Chriſti gentiũ ſupplemẽto, tum zelo & ęmulatione permoti reliqui populi Iudæorũ credentes in Chriſto, ſalui fient & Ambroſ. in eandẽ ſententiã, vt probaret Apoſtolus domini Sect. 3.

 *Iudæis*

Iudæis reſeruatum a deo teſtimoniũ *Iſaiæ* poſuit, vt hac gratia, qua liberati ſunt *Iudæi* credentes, & hos, id eſt, qui nondum crederent, liberari poſſe doceret, vterq; cauſæ noſtræ apertiſſ. teſtimonijs ſuffragatur, ille æmulationis ſtimulis concitandos *Iudæos* oſtendit, magnũ autem & vehemens æmulandi ſtudium eſt, alter exemplo fratrũ credentiũ, *Iudæos* non credentes & infideles trahendos & inuitandos fore exiſtimat. *Auguſtini* præclarũ teſtimoniũ præterire non poſſum: *Iudęi*, inquit, excæcati ad tempus ſunt, ne crederent, non credendo Chriſtum crucifigerent, vt poſt eius reſurrectionẽ ſalubriore pænitentia reſipiſcerent: & ſimilitudinem ad rem illuſtrãdam adhibet, pleraq; medicamẽta prius affligũt, vt ſanẽt, & ipſa collyria, quæ ad occulos pertinent, niſi ſenſũ vidẽdi prius claudãt & perturbẽt, prodeſſe non poſſunt. Quid potuit apertius dici? iſtæ *Iudaicæ* gẽtis tot et tam acerbæ afflictiones, approbria, exilia, mortes tot ſunt medicinæ & pharmaca, quibus deſperatus illius populi morbus ligari, purgari & ſanari tandem poſſet.

Quæſt. Math. 14.

Sect. 4.

Sed orthodoxorum patrum ſcripta pertranſiens, ad ſcholaſticorum monumenta deſcendam: Prima acie ſe nobis offert eruditiſſimus noſter Beda, qui in extremo ſeculo Iudæos credituros tradit in Chriſtum, Helia magno illo Propheta impellente & adhotante: ſomnium hoc eſt de Propheta, neſcio quo, ante mundi exitum venturo, quod vnum tamen ſi demas, de reliquo verè vaticinatus eſt. Somniarunt illi veteres de Heliæ reditu olim futuro, male intellecto, quodam Malachiæ loco: quem ego errorem, eiuſq; iuſtam reprehenſionem in aliam paginam tranſpoſui. Memini me porrò in Hugonis Cardinalis allegoriam quandam incidiſſe, cuius extant in epiſtolam ad Romanos commentarij: Reperio enim eum partium noſtrarum aſſertorem, ſed veterum more fabulas & allegorias conſectandi ſtudio nimium delirantem: Deſcribam integrum locum, quem aliorum ſanis iudiciis relegabo: Ille Iudæorum revocationem ad fidem ex Abrahami illo facto ſe evincere poſſe putat, quod in filio immolando moliebatur: ſic ergò fabulatur: Abraham ita alloquitur ſeruos ſuos, ego & puer illuc properantes adorabimus, & revertemur ad vos. Abraham (inquit) Chriſtus eſt, Iſaac Apoſtoli qui immolati ſunt à gentibus, ſerui Iudæi expectantes cum aſino, id eſt, ſine ſenſu ſpirituali, ſed poſtquam adoraverint, in fine revertentur. Acerrima quidem animaduerſione corripiendus eſt, depravatus iſte allegorijs ludendi mos: Non enim dum Scripturas interpretamur, noſtri cerebri inventa curioſè obtrudere, ſed ſpiritus

In Rom. 11.

Commentum de reditu Elię in mundi exitu.

Malach. 5. 5.

Iudæorum reverſio allegoricè deſcripta.

ſancti ſenſum piè & ſobriè perueſtigare debemus, recordati illius interpretandi rationis à Leuitis vſurpatæ, qui Eſra legem lectitante, ipſi adſtantes, *exponendo ſenſum, dabant intelligentiam per ſcripturas*. Ea enim expoſitione gaudet ſacroſanctum & præpotens Dei verbum, qua eius author ſanctiſſimus ſpiritus ſplendere ipſum & clarere voluit, auram captare non decet, nec aucupari nugas. Nihilominus tamen, illud non morati, quod nugetur hic Cardinalis, & in vertendo cardine rei euertat cardinem, noſtræ tamen, qualis qualis eſt defenſionis adſtipulator eſt.

Quam periculoſum ſit conſectari allegorias.

Eſra.8.8.

Scripturę ſanctæ interpretatio qualis eſſe debeat.

Alius porro iſtius farinæ ex eadem officina & ſchola profectus, paulò tamen grauior & rei magis prouidus æſtimator, ſic habet, aſſumens illa verba Pauli, cum conuerſus fuerit, id eſt (inquit) populus Iſraelis circa finem mundi, & alio loco illud eiuſdem Apoſtoli tractans, *ſic tum totus Iſrael ſalvus erit*, ita commentatur, in finem ſcilicet mundi *deuicta falſitate Antichriſti, quia tunc Iudæi conſtanter mortem ſuſcipient pro fide Chriſti*. Euidenter ille quidem & explanatè rem determinat. Tria obſeruat perutilia ad inſtitutum noſtrum, tempus deſignat, notatur mundi finis. Nam extremum illum diem terroris & iudicij, pro foribus ſtare, dira omnia improbis minitantem, animum inducas, cum adiectione tribuum augeſcere cæperit eccleſia: Secundo occaſionem ipſam nominat, Antichriſti nempe imperium flacceſcere & quaſſari debet: illius enim fraudulenta impietas, alienat & auertit, lædit & offendit Iudæorum animos. Illius ergo aboleri ſuperſtitionem & extingui oportet priùs, quàm iſtorum confluxu incrementum capiat Chriſtianorum claſſis. Tertium etiam illud, quod adiectum eſt, mihi habetur pro certo, ad tantam animi conſtantiam & alacritatem Hebræorum gentem peruenturam ex reuelata fide, vt non dubitent pro ea mortem oppetere: iſta ab illo probè diſputata ſunt.

Sect.5.

2.Cor.3.16.

ad Rom.11.26

Iudæi pro Chriſto, cum conuerſi fuerint morte occumbere non dubitabunt.

Subiiciamus iam Aquinatis ſubtilis diſputatoris, ſed non tam ſynceri theologi iudicium. Ille iacto fundamento ex illis Paulinis verbis, *totus Iſrael ſalvus erit*, ſic ſuperſtruit. *Non particulariter* (inquit) *ſicut contigit cæcitas ex parte, ſed vniuerſaliter omnis, vt intret etiam plenitudo Iudæorum*. Cuius tam perſpicua & plana aſſertio deſolatæ illius gentis celebrem & inſignem conuerſionem præmonſtrat, quæ nondum mundo apparuit: Non enim raro aut

Sect.6.

Aquinatis opinio.

tenui comitatu,ſed vt ille prædixit, & nos credimus, aceruatim & denſa corona colligent ſe & veluti greſſus glomerabũt ad eccleſiã.

Nicholaus de gorrham. Rom.11.25.

Tria conſideranda ſunt in hoc negotio, Iudæorum cæcitas, gentium fides,& vltima Iudæorum conuerſio.

Aquinati alius in eadem ſchola enutritus ſubſcribit & aſſentitur,qui ex illo Pauli verſiculo, *Volo vt ſciatis fratres myſterium hoc*, tria animaduertit diligentiùs, Iudæorum,(vt ipſius verbis vtar)excæcationem,gentium illuminationẽ, & futuram Iudæorum conuerſionem. Quæ profectò omnia, ſi Apoſtoli verba expendas, inde veluti nativo & ſpontaneo ſaltu exilient. Nam vbi dicit, *cæcitas ex parte facta eſt Iſraeli*, tenebras huic genti offuſas oſtendit recedente lumine: cum addit, *donec plenitudo gentium ingrediatur*, & apertè docet fœlicem & optatum diem illis affulſurum, & vnà erigit & ſolatur Iudæorum mentes advenientis iam & properantis ſalutis ſuæ recordatione. Sic iam audiuimus, quò veterum doctorum ſententia inclinet, quid etiam ſcholaſtica eruditione referti authores de controuerſa queſtione opinentur. Quos non idcirco introductos volui,quod aut eorum iudicio ſtandum ſit, aut veritas eorum teſtimonio indigeat; ſed hoc conſilio id à me factum eſt, partim vt appareat,quomodo omnes,annis quidem & ætate multum diſcrepantes, hac in re tamen, quam indagamus, conſpirent & iungant dextras, partim, vt ſanguineæ & truculentæ beſtiæ ſatellites,ſi ſuos audire voluerint accepto,quod feſtinanter reprobæ gentis reconciliatio properet, atque ea ex Antichriſti caſu & imperij excidio florere & creſcere debeat, ipſi reſipiſcant tandem iſtorum reminiſcentes,& ad novum vitæ genus ſe corripiant.

Quorſum veterum opiniones recenſentur.

Sect.7.

Calv. in epiſt. ad Rom.

Nunc ſuccedit tertia eruditorum claſſis: Neotericos ſcilicet noſtros & recentiores ſcriptores adibo. Primò mihi conſulendus Calvinus eſt,ſplendor ille orbis Chriſtianæ, qui ita hoc myſterium aperit, *quum gentes ingreſſa fuerint,ſimul & Iudæi ex defectione ſe ad fidei obedientiam recipient*. Quid potuit apertius dici?cuius ſententia non eò incumbit, ac ſi promiſcuè vnà cum peregrinis iter ſimul facientes Iudæi ad eccleſiam,vnde expulſi erant,recurrerent: ſed alternas quaſdam vices vtriſque tribuit, & interſtincta tempora,quibus gentiles primo ſuo ordine,tum circumciſa plebs ſuis vicibus,diuinę voluntati ſubſeruiant,& vocationi ſuæ obtẽperent. Alibi ergo idem de gente Iudaica ſic pronunciat, externa ſpecie collapſa videri potuit ad tempus,ſed à radice exciſa non fuit.Huic ego integerrimo viro, & eruditione proximum & pietate etiam ſecundum

cundum

cundum euocabo ornatiſſimum Bezam, quem adhuc ſeptuagenarium iam ſenem ſupereſſe Deus in terris voluit, vt eius ſudore & ſtudio, tanquam dulciſſimo imbre Eccleſia ſalubriter irrigata propagaretur. Ille non veretur conſtanter & ſine hæſitatione affirmare venturum tempus, *quo non iam Iſraelis reliquiæ* i. pauci quipiam ex Iſraelitis, ſed totus Iſrael, i. gens ipſa communi conſenſu ad Eccleſiam Dei aggregetur. Clara & euidens aſſertio eſt ſine vmbra aut fuco. Monemur duplicem temporis ſeriem ſpectandam eſſe, vnam iam præteritam & decurſam, cum tota Iudæorum natione in cæcorum & contumacium patrum veſtigiis hærente, excerperentur tamen perpetuo aliqui, qui fidei imperio ſe ſubderent, & obſequerentur, quod ſæpius proavorum noſtrorum ætate accidit, rariùs noſtra, ſed accidit tamen. Alius verò temporis ordo, qui nondum mundo illuxit, ſatis tamen opportunè innoteſcet, expectandus hodie eſt, cum vniuerſa natio, ſua deliria & commenta averſata in Eccleſiæ ſinum & complexum ſe inſinuabit.

Bez. in annot. in 11. ad Rom. v. 25.

Duplex tēporis ordo ſpectandus in Iudæorū vocatione.

Aliis præter iſtos eruditis viris & piis probata hæc noſtra opinio eſt, pro qua contendimus. Quidam nihil hæſitans aut dubitans ait, *mutabit Deus mentem* Iudæorum, *vt mundana ſperare deſinant, eumq́; iam obvijs vlnis recipiant, quē hactenus alium expectantes repulerunt.* Iſto enim errore decepti adhuc & ſeducti Iudæorum animi ſunt, dū vana ſe potentiſſimæ alicuius monarchiæ ſpe demulceri paterētur, qui Chriſtum aliquem & Meſſiam veluti è pulvere excitandū credebant, armis potentem, militibus ſtipatum, omnia vi & ferro deuaſtantem, qui metropolam ſuam ciuitatem, templum, ædificia leges, ceremonias, reſtitueret. Iſti verò ſomnolenti & delirantes Rabbini, vbi ſe falſos & illuſos comperient, nugis iſtis poſthabitis, atque una eos irritante ſpiritu, in ſpiritualem redemptorem & dominum fiducia ſua recumbere & conniti diſcent.

Sect. 8.

Bullingerus.

Adiungā iam diſertiſſimi Theologi concluſionē ex diſputatione, quæ de Iudæorum conſeruatione præceſſerat, ſic illatam: *ſeruantur itaq́;* (ait) *perpetuo hoc tempore à deo indubitato, ad aliquam futuram ſalutem.* Nulla enim alia ratio reddi poteſt, cur gens iſta in cineres pene & puluerem redacta, paſſim per vniuerſum orbem diſſipata & diuiſa, omnium conuitiis & maledictis appetita, vires tamen colligat, ſurgat denuo & reuiuiſcat, niſi hinc illud effectum crederetur, vt priſtina ſua libertate donentur iterum & locupletes fiant: ſi

Sect. 9.
P. Mart. locorum commun. claſſ. 2. cap. 17. ſect. 32.

Iudæi cur adhuc reſeruantur.

ſi non ita foret, miſera iſta & ignobilis natio, tot calamitates perpeſſa, tot obnoxia periculis, rebus ita vndique deſperatis & perditis, cur non iamdudum extincta, & ſilentio in æternum ſepulta iacuiſſet? Humanæ enim vires tot perferendis moleſtiis, tantis ſuſtinendis laboribus nullo modo pares eſſent, niſi diuina poteſtas intercederet.

Sect. 10. Videamus iam, penſitatis iſtorum ſententiis, quibus vir ille partibus faueat, acuti ſatis & acris ingenij, ſed non ſemper iudicio ſibi conſtans & cohærens, qui tamen in iſta controuerſia non vacillat: ſic enim inter annotationes eius habetur, vbi gentes alloquutus ita ait. *Sicut illorum defectio vobis aditum fecit ad fidem, ita veſtra fides, quam miſerante Deo eſtis conſequuti pro vocabit illos vt reſipiſcant, ſeque dignos præbeant, qui à Deo recipiantur*: planiſſimis verbis profert, quod ſentiat, & rem ipſam (vt aiunt) acu attigit. Ne quis enim eam ob cauſam de Iudæorum in religione Chriſtiana progreſſu dubitaret, quod nihil illis maius faſtidium pariat, quàm ipſum Chriſtiani nomen, mentio neceſſariò de ipſorum reſipiſcentia fit. Quemadmodum enim ſi quis in tabula cerea inſculpere aliquid, & incidere voluerit, primo ceram ipſam attrectando & calefaciendo præparat & molliorem reddit, qua ita ſubacta & emollita, tum demum ſculpturam aggreditur: ita certè priuſquam pertinax, durum & planè ſiliceum ſuperſtitioſæ ſectæ cor, nouæ figuræ impreſſionem recipiet & patietur, ipſius durities, & quo obductum eſt, callum, eradenda primo & execanda ſunt. Sentio me iam hoc abſolviſſe penſum, quod aliorum ſcriptorum telis nere & texere decreueram: ſi multitudine & copia dimicandum eſſet, alios etiam quamplurimos producere potuiſſem: ſed iſtorum, quos citaui, & appellavi teſtes potius, quàm iudices, mutuus & concors conſenſus, meam ſententiam nouitatis opinione liberabit. Hunc iam ſoluens, & alio tranſuectus novum orationis filum texere exordiar.

Eraſm. in 11. ad Rom. v. 13.

Iudæorum corda emollienda prius, quam vrcentur.

# CAPVT V.

*Præter allatas tum ſacri voluminis, tum aliorum ſcriptorum ſententias, noua afferuntur rationes, quibus, Iudaicæ nationis ſalutem iam appropinquare & prope adeſſe, omnibus appareat & certiſſimè demonſtretur.*

Nunc

NVnc in animo habeo, miſſa faciens, quæcunque ab aliorum authoritate peti poſſunt argumenta, alias etiam rationes adſtruere, quæ à rei ipſius viſceribus depromantur: in faſciculum primò colligam, tum fuſiùs ſingulas proſequar: hæc ergò fidem defenſioni noſtræ faciunt, quam Iudæorum nomine ſuſcipimus, quos olim Chriſtianorum titulo cohoneſtandos cenſemus. Primò tanta eorum paucitas ſemper fuit, qui cæcitati ſuæ valedicerent noſtram profeſſionē amplexati, vt nondum Prophetiam illam de ipſorum converſione eventu & actu expreſſam agnoſcere poſſis, ſed manendam eſſe aliam opportunitatem, in quam caderet eius executio. Illud etiam animadverſione dignū eſt, quòd nondum extirpata errabundæ iſtius gentis memoria ſit, cùm nullas tamen certas ſedes ſortita fuerit: Aliis tamen populis hoc eveniſſe non ignoramus, vt ſolum mutantes, vnà etiam nomen, genus, propinquos, brevi tantùm interiecto tempore amitterent: Quorſum autem, vel in quem finem veluti in cineribus ſcintillulæ quædam tanti olim ex illa gente enati luminis ſervatæ conderentur? niſi tandem vt admotis follibus, ita inſpirante ſpiritu in flammam erumperent. Hoc etiam non exigui momenti eſt, ſi depravata iſta tempora animo & cogitatione volutemus, in quæ nos detruſi ſumus, quod fides vi inter pſeudochriſtianos detenta, è terris excedere & alio eniti velle videatur. Revertamur iam, vt quàm exigua copia Iudæorum qui ex animo Chriſtum amplexati & exoſculati ſunt, ſemper inventa fuerit, quàm poſſumus breviter & ſuccinctè declaremus. Iſtius paucitatis tria præcipuè ſigna & indicia ſunt: primò id patebit ſi comparatio eorum, qui aliquando reſipuerunt, inſtituatur cum ijs, qui aut ſua in hæreſi pertinaciter perſiſtere, aut à ſuo errore in deteriorem labi & deflectere ſatiùs duxerunt: Secundò, ſi ad hos paucos oculos conjicere volueris, ægrè admodum & difficili labore converſos, compertum habebis, tum etiam ex paruo iſto & puſillo grege multos ad vocationem ſuam redijſſe, & in cæno rurſus volutatos deprehendes: vt ſuo iam ordine iſta diligentiùs perſcrutemur: Non ſum neſcius, omni ætate vixiſſe Iudæos, qui ſaniore imbuti mente, quàm reliqui, Chriſti paulatim ſuauitatem deguſtare cæperint.

Sect. 1.

Prima ratio à paucitate Iudæorum credentium.

Secunda, à ſervatis adhuc gentis iſtius reliquijs

Tertia, à Chriſtianorum ſimulata fide.

Sect. 2.

Tria argumenta paucitatis Iudæorum.

cæperint. Miſſa facio prima illa Apoſtolorũ tempora, & quæ illos ſubſequuta eſt ætas, cum ingens Iudæorum numerus, potentiſſimo eorum miniſterio ad fidẽ conuerſus fuerit, & in viã reductus. Venio ad recentiora & nobis viciniora ſecula. Legimus ſub Dagoberto Galliæ rege, multos circũciſionis prius obſignatos nota ad baptiſmatis lavacrum admiſſos fuiſſe. Eodem ferè tẽpore in Hiſpania nõ pauca millia Iudæorũ, imperante Syſebutho Gothorũ rege ad eccleſiã acceſſerũt. Cõſimilia etiã exempla multa proferre liceret, niſi alia agenda eſſent: verũ, qui numerus ſua natura libratus, ita immẽſus & infinitus videtur, cum reliquo cætu collatus eorum, qui avitæ cognationis vna & cæcitatis hæredes erant, minutus admodum & exiguus putabitur.

Armonius de rebus geſtis francorum. li. 4. cap. 22.

Iohann. mag. de hiſt. Gothorum. lib. 16. ca. 14.

Vt à primis temporibus, quæ proximè poſt domini paſſionẽ inciderũt, exordiũ, ſumã. Nerone imperiũ tenẽte, Egyptũ quendã Pſeudoprophetã tanquã è Tartaro in terras emiſſum legim⁹, qui triginti millia Iudęorũ, ad ſeditionẽ & rebellionẽ concitavit, & impulit ſuis præſtigiis faſcinatos, cuius impios conatus Felix Iudeæ tũ procurator, fortiter repreſſit & cohibuit. Sed quid ego triginta millia dico, cum totidem myriades Hyeroſolymas in paſchate confluxerant, nonmultò ante funeſtam & fatalem vrbis obſidionem, in qua tanquã in carcere ſeditioſa & refractaria multitudo detẽta & cuſtodita eſt, omnibus prius in vicina oppida diuino oraculo evocatis Chriſtianis, vt de vniuerſa gente, tanquã ex profeſſo Chriſto & ecceleſiæ inimica & hoſte perpetua, dignũ Deus ſuppliciũ ſumeret: ſub Traiano imperatore totã Cirenen Egypti regionẽ & prouinciã Iudæi Lucã ducẽ ſequuti, ſuis tumultibus & excurſionib⁹ vaſtarunt & deprædati ſunt, & tanto numero in gentes vicinas involarunt, vt primo conflictu ſuperiores euaderẽt, & niſi Lupus Egypti præſes exercitu collecto ſubveniſſet, arma ſine ingenti Egiptiorum clade nõ depoſuiſſent. Memorabilis illa ſeditio eſt, quæ à Iudæis in Chriſtianos excitata Alexãdriæ fuit, quo tempore Grillus Epiſcopi cathedram occupavit: Qui noctu Chriſtianos adoriuntur, teſſera inuicẽ data, cum ad templi cuiuſdã incendiũ reſtinguendũ è lectis ſurgentes concurrebãt, quod igne flagrare quidã à Iudæis conductus, media nocte falsò clamauit: Paucos tamen omni iſto tempore ad fidẽ Chriſtianã redeuntes Iudæos cernimus: è multis millib⁹ inueniuntur duo, quorũ vnus ab Attico Epiſcopo baptiſmo donatus eſt & credidit: alter à Paulo epiſcopo ſubdolo animo & ſimulato impe-

Sect. 13.
Euſeb. lib. 2. c. 22.
Pauciſſimi è Iudæis vlla ætate converſi.

Euſeb. lib. 3. cap. 5.
30 myriades Iudæorum Hieroſolymis.

Euſeb. lib. 4. cap. 2.

Socr. li. 7. c. 13.

Iudæorum ſeditio Alexandriæ.

trauit, nec diſceſſit melior, ſed miraculo illius hypocriſis retecta & patefacta eſt, vt ſequens narrabit pagina. Ingens porrò Iudæorum multitudo, aliis etiā ſeculis huc illuc curſitās in omnes cæli plagas diſpartita ſemper fuit. In Arabia fælice tanta aliquādo omniū conſenſu viguit & floruit Iudaica ſuperſtitio, vt ne Chriſtiani nominis famā vel rumorē aliquē ad ſe illius terræ incolæ perferri paterētur. Iudæorū novem millibus vna Maguntina ciuitas oppreſſa interdū fuit, & Ratisbonæ tanquam ex fonte aliquo, ita eorum frequentia & turba ſinguli anguli ſcatebant & repleti ſunt. Iſto etiā morbo multæ aliæ Germaniæ vrbes laborabant: vt taceā quomodo iſta circumciſorum caterva Hiſpanis & Gallis infeſta & moleſta fuerit. Nā ſi tam copioſo agmine, intra eorum fines qui habitabant Iudæi, ad eccleſiam confluxerunt, facilis coniectura eſt de reliquorum copia, qui cum Chriſtianis paciſci recuſabant. Vt veniamus ad Angliam noſtrā: Hiſtoricis ſi credamus, Richardi primi tempore, cum rex iter exercitu cōſcripto aduerſus Saracenos pararat & inſtituerat, peregrè ad Hieroſolymitanā terram profecturus, decima bonorū portio à ſingulis ſubditorū exacta eſt, tam natiuis incolis, quā peregrinis: Illa à Chriſtianis ſoluta, ſeptuaginta millia librarum confecit, à Iudæis numerara ad ſex millia eſt. Ita ergo, vt ex ſolutione conſtat, frequentes degebant inter Anglos Iudæi, vt decupla tantum proportione ſuperarentur.

Niceph.li. 17. cap.32.
Iudæorum tumultus.
Cranzius.li.5. cap.14.
Iudæorū multitudo permiſta chriſtianis.

Sed diutius hic nō immorati, ſecundò illud patefaciamus, quāta difficultate interdum cōpulſi Chriſtiani ad fidē, aliàs quibus præmiis allecti & inuitati ſunt. Hiſtorici tradunt Iudæos rarò admodū niſi miraculo aliquo obſtupefactos & attētos prius, ad fidei profeſſionē adductos eſſe. Interdum vero ne miraculis aut ſignis attrahi potuiſſe. Primo enim ſigna & portenta illa, quę ciuitatis nō obſidionē ſolùm, ſed euerſionē & excidiū præceſſerant, & prænuntiare videbātur, fide ipſa pene maiora, nihil Iudæos tamē permouerunt. En aſtrū, gladiū flammeū repreſentans in aëre pendēs ciuitati imminebat, ſed illi tāquā oculis capti, animū nō aduertebāt: Cometes etiā ardebat, ne per anni integri ſpatiū extinctus, & in feſto azimorum media nocte lux inſolita & ſolis ſplendori par & æqualis in tēplo iuxta altare fulſit: viſæ etiā in aere phalāges armatæ ſunt, ac ſi exercitus duceretur, & milites in aciē prodirēt: iſta tamē Iudæi ſomniorū & fabularū loco habuerūnt. Immo cum bouē, qui ad altare traheretur, in victimā paratus, agnū (mirabile dictu) in tēplo peperiſſe

Sect.4.
Iudæi nō ſine miraculo vocati.
Euſeb.3.8.
Signa, quæ obſidionem Hyeruſalem præceſſerunt.
Bos agnum parit in tēplo.

cernerent, cùm ſacerdotes magnò cum ſonitu & fragore vocem iſtam ad aures ſuas veluti turbine delatam perciperent, *migremus hinc*: cùm denique per integrum quadriennium Iheſus quidam homo agreſtis & rudis, ſic dictus, continuò dies & noctes in plateis curſitans vociferari non ceſſaret *va Hieroſolimis*, quem nec minis, aut verberibus deterrere potuerunt, vel ſilentium imperare: & hæc toti vrbi & vicinis omnibus cognita & audita eſſent: infælix tamen & miſerrima gens facilè iſtas admonitiones ſprevit, nec quicquam mutata à priſtinis moribus receſſit.

Sect. 5. Socrat. 3. 17. Quid referam, quæ Iudæis, Iuliano imperio potito, qui apoſtatæ nomine inſignis eſt, Hieroſolymis acciderant: vbi non permiſſione tantùm imperatoris & venia, ſed hortatu & impulſu, vt Chriſtianæ pietatis curſum impediret, Templi ruinas reſarcire, & ipſum humo æquatum ædificare & reſtaurare cæperunt. Sed triplici miraculo conſiliorum vanitas diſſipata eſt: primò enim noctu terræ motu facto, cùm Cyrillus epiſcopus prædixiſſet, nunc futurum tempus, cùm illa Chriſti de templo prophetia ſe palàm oſtenderet, vt lapis lapidi non hæreret, aut incumberet (mane enim concuſſa vetera fundamenta, & nova ædificia diruta & everſa conſpiciuntur) & iam è Iudæis quamplurimi ex omnibus locis eò ſpectatum veniſſent, en alio ſigno ira Dei cælitus demonſtrata eſt. Ignis enim demittitur, qui omnia opificum inſtrumenta, ſerras, ſecures, molleos, & conſimilia devorat, comburit, & in cineres vertit. Et tertium adhuc prodigium ſequutum eſt: proxima enim nocte crucis radiantis effigies veſtibus Iudęorum paſſim tinctura & colore dilapſo imprimitur, quam cum eluere & extergere ſequenti die conati eſſent, operam perdiderunt. Nequicquam tamen Iudæi iſtis ſpectaculis profecerunt, neq; animum applicarunt, ſed tanquam ſues ad lutum, ita ad ſuperſtitionis & erroris cœnum recurrunt denuò, & cordis munditiem & ablutionem præ luto ceremoniarum impuro & ſquallido reſpuunt & contemnunt. Legimus quidem aliquos Iudęos tanquam purius metallum à fece & ſcoria purgatum, Chriſto vt vaſa pijs vſibus conſecrata, ſe relicto Iudaiſmo in diſciplinam tradidiſſe: ſed ne iſti quidem ſine miraculo veteres ceremonias abdicare & renunciare voluerunt: vt olim in Creta inſula contigiſſe accepimus. Iudæus quidam ſe Moſen ſimulans, reliquis ſuæ nationis pollicitus eſt & fidem dedit, ſe eos per medium mare ad patrias

Iudæi templũ reædificare tentant.

Socrat. 7. 37.

trias

trias ſedes ductum eſſe, & aquas ſponte ceſſuras dixit. Qui cum ad littus eos traxiſſet, & multi falsò perſuaſi, in pelagus deſiliiſſent fluctibus ſubmerſi, quorum non pauci perierunt, aliis qui tum fortè iuxta littus nauigabant Chriſtiani, lintris & nauibus moribundis iam & pene ſuffocatis ſuccurrebant: reliqui, cum ſe turpiſſimè deceptos ſenſiſſent, à dæmone aliquo ſe illuſos credentes, ad fidem Chriſtianam animos appulerunt. Alia porro de Iudæo quodam elegans hiſtoria eſt, ſed paulo antiquior: Qui, cum multos annos à paralyſi vexaretur, & omnes alias expertus medicinas, & ad Iudaicas ceremonias & ritus confugiens, nullum tamen morbo inveniſſet remedium, ab Attico Epiſcopo, fidei prius articulis inſtitutus, cum idipſe etiam ardenter petiiſſet, ad baptiſmum recipitur, qui peracto ſacramento à baptiſterio diſcedens, illico ſe morbo liberatum ſenſit, & iſto modo in fide confirmatus eſt. Iſtis, iam, quæ teſtium loco advocavimus, exemplis, luculentur docetur, quàm arduè Iudæis ad Euangelij profeſſionem via ſternatur: poſſum & alios teſtes accerſere, ſed non tam locupletes, nec paris fidei: dicam tamen quid loquantur hiſtoriæ, iudicium lectori liberum erit.

*Socr. lib. 7. c. 4. Iudæus paralyſi affectus baptiſmo ſanatur.*

In oppido quodam Phœniciæ (quod Berytham vulgo) imago quædam Chriſti ſpeciem exhibens, à Iudæo, ipſius perſonæ odio impulſo fortè confoſſa eſt, ex qua multis cæſa & contuſa ictibus largius ebulliebat ſanguis: hoc ſpectaculo accurrentes reliqui commoti ſunt, & eum adorare cœperunt omni mora ſepoſita, cuius ſimulachro iniuriam feciſſent. Non multùm diſſimulis narratio, alicubi fortaſſis & mendax, ſed ſatis tamen apta ad rem noſtram ab eiſdem authoribus infarcitur: Iudæus ad templum Chriſtianorum fortè itabat, eo animo, vt eorum cultum ludibrio haberet (cæna dominica eo tempore celebrata eſt, & Baſilius miniſtri agebat partes) profanus homnicio intenſiore acie in eum reſpiciens puerulum formoſum & pulchrum per medias illius manus ſe demittentem conſpicatus eſt: hoc viſo perterritus clam ſe ſubducit, & ſubitò naſcitur Chriſtianus.

*Cent. 4. ca. 41. titulo de propagatione eccleſiæ.*

*Centur. 4. c. 6. de ritibus & ceremoniis. Iudæus ſubito factus Chriſtianus.*

Vnum ego aliud exemplum adiungam, quod ſic paucis perſtringo. Iudæus quidam Hiſpanus Toleti habitans, vineæ ſuæ terminos, qui anguſtiores erant, dilatare cupiens, de rupe quadam, quæ in medio horto eminebat, excidenda cogitat, in cuius baſi & fundamento defodiens, in librum incidit pulvere & ſqualore obſitum:

*Ex faſciculo temporum.*

aperuit ille & inſpexit : multa ille liber de rebus futuris complexus eſt, de Chriſti regno & Antichriſti etiam tyrannide pluribus diſceptans: eum diligentiùs euoluens ad locum quendam legendo ducitur, in quo ſcriberetur, volumẽ iſtud Ferdinãdi regis Caſtellæ ætate, cui tum delatum imperium fuit, in lucem eruendum fore. Iudæus totus obſtupuit & cohorruit iſta lectitans: libri diuinum ſcriptum admiratur, ipſe veluti transverſa forma ad Chriſtianorum partes tranſilit. Iſtas ego qualeſcunque ſcriptorum traditiones, quæ nonnullis fortaſſis fabularum ſimiles iudicabuntur, nec mihi quidem omnino probantur, non vt veras & puras hiſtorias omni deterſa macula hic interſerui. Novi enim quanto ſtudio ferantur ad confingendas fabulas pontificij, vt in idolis maieſtas quædam ineſſe cenſeretur, quo prima fabula agere viſa eſt, & altaris ſacramento, plus, quam æquum eſt, authoritatis conciliaretur, quod ſecundo exemplo perſuadere volunt. Non ego eo animo iſta interpoſui vt abeſa & vetuſta veterum ſcripta, fidem maiorem, quam, qua digna ſunt, nanciſcantur, ſed vt quoquomodo liqueret & conſtaret, quam tardi & ignaui iſti ſuperſtitionis & ceremoniarum cultores ſint, & quantas faciant moras & quam ægro pede & quam inviti ad veritatis ſtudium pertrahantur. Fit reuera interdum, vt miraculum non expectent, nec requirant, cum obeunda eorum conuerſio ſit, precio tamen conducendi ſunt, & præmiis ſollicitandi. Sic enim de Baſilio Conſtantinopolitano commemoratur, cum ingentem huic genti propoſuiſſe mercedem, ſi priſtinos errores reiicerent & abiurarent: illi præmio accepto conditioni etiam ſteterunt.

De Iudæo, qui librum in horto inuenit.

Pontificiorũ fides in hiſtoriis narrandis ſuſpecta.

Iudæi mercede ad fidem Chriſtianam ducuntur. Centur. 9. c. 2. titulo de propagatione eccleſiæ.

Præter hæc, quæ iam retulimus, operę precium erit paucis videre, quomodo ſe geſſerint Iudæi quidam baptiſmatis participes facti. Multi neſcio quo furore correpti in ſquallidum & fædum cæcitatis ſuæ & ignorantiæ cœnum ſe rurſum præcipites dederunt. Ctulperici francorum regis iuſſu multi Iudæi ſacro baptiſmatis ritu initiati erant, & in eccleſiam inſiti, rege ipſo ſua fide & promiſſione, vt mos erat, eorum nomine intercedente. Qui tamen peſſima & profana colluvies, ſomnia ſua deinceps redamare cæperunt, abiecta quam elegerant, & cuius ſignum geſtabant, fide. Meminerunt etiam ſcriptores hiſtorici mulieris cuiuſdam Hebreæ, quæ baptiſmo accepto Chriſtiano marito elocata fuit, eadem à profeſſione reſiliens iterum viro Iudæo nupſerat. Conſimile quidpiam in Anglia aliquando accidit. Cum enim Richardi ſecundi coronatio ſolē-

De Iudæis apoſtatis & relapſis. Greg. Turonenſ. li 6. hiſt. cap. 17.

Mulier Iudaica bis nupta. Cent. 11. ca. 6.

nis habebatur, *I*udæi prohibiti ſunt, ne regis palatium eo die frequentare auderent: illi tamen edicto non parentes ad curiam regiam aceruatim concurrunt. Londinenſes, qui tum interfuerant, veluti regio mandato tecti, & muniti Iudæos pugnis cædere, & à porta pellere, nonnullos interficere aggreſſi ſunt. Quidam è reliquis notus & celebrioris famæ, pollicetur ſe futurum Chriſtianum ſi illi parcerent: vt pollicitus fuit, baptiſmi particeps fit. Poſtea à rege acceſſitus, & ab eo de fide interrogatus, ſe nihil mutatum reſpondit, metu tantũ coactum, vt ſe ad tẽpus religioſum fingeret. Innumera iſtius generis facinora paſſim in veterum ſcriptorum monumentis volitant, & magis verendum eſſet, ne faſtidium pareretur, ſi diutius hic elaborarem, quam deeſſet materia & ſupellex, ſi per ambages iſtas lectoris animum demorari vellem. Manifeſtum ergo eſt, quam exilis & exigua ſemper eorum caterua fuerit, qui fugata *I*udaicæ ſuperſtitionis caligine, Chriſtianis ſe erudiendos commiſerint, vt neceſſario id hinc effici videatur, eos deinceps alacriori pede ad orthodoxam Chriſti ſcholam ingreſſuros eſſe.

*In Martyrolog. Iohannis Foxi. p. 1500.*

Illud iam proximo loco conſiderandũ eſt, ad quem finem collimetur, cum ſtirpis Leviticæ fibræ penitus non euellantur, ſed vigeant adhuc & vireſcant, niſi ad eum, vt rebellis & degeneris familię tenera & pullulans propago, è tenebrarũ miſeriis erepta, iucundiſſimo dei aſpectu ſe oblectet tandẽ & refocillet. Vnde enim hoc factũ auguremur, quod reliquæ omnes gẽtes, quæ patriis relictis ſedibus ad aliorũ oras aliquãdo appulerint, paucorũ annorũ decurſu, patrię & gentis ſuæ oblitæ, in aliarũ nationũ affinitatẽ degenerarẽt, vna Iudaica tamẽ ſoboles omnis terrę plagas pertranſiens, cũ nulla alia familia cognatione copuletur, nec barbarorũ ſanguine & genere, vt ipſi loquũtur, inficiãtur. Aſſyrij ad Iſraelitarũ poſſeſſiones trãſportati Samaritanæ generationis parẽtes extiterunt: Iſraelitæ in ſeruitutẽ abducti, in Chaldæorũ & Aſſyriorũ nationẽ (vt ſupra monſtrauimus) inſiti erãt. In oriẽte ex Scytharũ primò, poſtea Tartarorũ, Turcarum, Saracenorũ excurſionib. multæ mutationes cõſequutæ ſunt, & nouis ſingulis ætatib. illæ regiones, vt Armenia, Arabia, Perſia, Media & reliquæ, incolis & dominis ceſſerũt, & occupatæ ab illis ſunt. In occidente in Italiã ſuis vicib. irruperũt *Vandali*, *Gotti*, *Hunni*, *Lõgobardi*: in *Hiſpania* dominati ſunt *Vandali*, *Alani*, *Sueui*, *Gotti*, & poſt eos *Saraceni*. *Gallia* repleta eſt à *Gottis* primo & *Burgundijs*, vltimò ea *Frãci* potiti ſunt. *Bohemiã* olim tenuerũt *Boij* illis expulſis,

Iudæi ſoli ex omnib. gentib. nomen & cognationem retinent.

De gentium commutatione & permiſtione inter ſe.

Ex Cron. Carionis principio. lib. 4.

Marcomanni, quos vicerunt tandem Henetæ, & poſſeſſiones eorum obtinebant. Anglia noſtra, à Britannis primo culta eſt, Saxones deinde eam depopulati, ipſi poſtea verè Britanni (mutato tantum nomine) facti ſunt. Galli poſtremo in Angliam celeberrimam hanc patriam noſtram, vi & armis irrumpentes, ipſi etiam in Anglos tranſierunt. Idem etiam aliis regnis ſæpius contigiſſe palam loquuntur hiſtoriæ, quorum incolæ ſæpius mutati & extirpati ſunt, gentis tamen natura & conditio eadem permanſit. Si Anglus Hiſpaniam petierit, eius hæredes Hiſpanorum loco cenſebuntur, licet ipſe cognationem non amittat: Si Scotus res ſuas deportet & tranſvehat in Galliam, eius poſteritas Gallicos mores redolebit, Scoticis non amplius aſſueta. Iudæus tamen ſiue Hiſpaniam, ſiue Galliam itinere petierit, ſiue in quamcunque aliam regionem proficiſcatur, non Hiſpanum aut Gallum, ſed Iudæum ſe profitetur.

Iudæi non inſeruntur in gentium ſtirpem.

Quæritur iam & dubitatur, vnde hoc tantum natum diſcrimen ſit: In eo fortaſſis differentia cernitur, quòd cùm promiſcuè cæteræ omnes nationes & connubio inter ſe iungantur, atque ita generis ſui confuſa miſtione in vnam ſtirpem coaleſcant: Iudæi tamen ab hoc facinore abhorrentes (ſic enim illud interpretantur) ſuas tantum, vxores ducunt, mulierculas, nullis aliis petitis in matrimonium: Reſpondeo hoc momento quidem non carere, quod ſic obiicitur, ſi probabilitate aliqua niteretur. Nunc autem res multò ſe habet ſecus: Etiamſi enim Moſes eis in mandato dederit, ne ſe gentilitiis nuptiis fœdarent, citò tamen illius mandata retinendi curam abiecerunt. Nam cum adhuc purior & integrior illius reipub. forma manſit, Eſræ nempe ætate, cum reduces captiui veluti poſtliminio, redierant, multi reperti ſunt, qui alienigenas vxores ſibi comparaſſent, vndè etiam filiis aucti quidam erant, nec ipſi ſacerdotes fuerunt ab hoc ſcelere immunes. Quantò ergo veriſimilius eſt, ſi eo collapſa argentea illa ſecula fuerint, corruptionem iſtam, ferrea ætate aduentante, in Iudaico cætu invaluiſſe: quod non ego mea coniectura inductus dico, ſed reipſa ſuperiorum temporum hiſtoriæ factitatum clamitant. Concilij Avernenſis decretum extat, vt ſi quæ mulier ſe viro Iudæo ſpoſpondiſſet, & poſtea nupta eſſet, non ſolum à Chriſtianorum cætibus & conviviis pelleretur, ſed à ſacræ communionis ſocietate arceretur. Alio etiam concilio ſancitum fuit, ne Iudæus ſibi vxorem eligeret è Chriſtianis: atque alia ſeſſione

Quæ cauſa ſit, cur Iudæi cum aliis nationib⁹ non cōfunduntur.

Eſr. 10. 44.

Iudæi cum alienigenis cōnubio iunguntur.

Decr. 6.

Concilio Toletano 3. decr. 14.

eiuſdem

eiuſdem ſenatus cautum fuit, vt ſi Iudæo Chriſtiana coniux aſſociata fuiſſet, ſi ille in eandem fidem non tranſlatus foret, vt vtriuſq; ſeperatione huiuſmodi infringerentur nuptiæ. Ex quibus ſanctionibus & edictis palam demonſtratur, Iudæos non ita præciſè legibus ſuis obſtrictos teneri, & antiquiſſimi illi Moſaici præcepti vim, temporis diuturnitate enervatam concidiſſe. Iſta ergò cauſa, quæ allata eſt, continuatæ adhuc & conſervatæ Iudaicæ ſtirpis, nulla videtur: aliæ ergò inveniendæ ſunt. Toletano 2. decreto. 62.

Video ergò tres effectrices cauſas afferri poſſe, nec commodè exhiberi plures: primò in gentis iſtius conſervatione divina providentia clariſſimè conſpicitur & emicat, quòd Iudæorum induſtria ſacrum Bibliorum veterum volumen ad nos tranſmiſſum ſit, quod ſuis calumnijs & figmentis Ethnici & hæretici ſæpiùs contaminare & obliterare tentarunt. Illi nobiſcum teſtificari aduerſus Gentiles poſſunt, à Deo fluxiſſe divina iſtà eloquia, quæ in manibus noſtris tenuntur, vt novitatis accuſatio, quam in Chriſtianos homines profani confinxerunt, tam evidenti oppugnata teſtimonio, flaceſcat iam & langueat. Alia etiam hinc emanat annoſæ iſtius Iudæorum ſenectutis coniectura, quòd ſilentio Deus eorum nomen obrui & perire non ſinat, vt ſempiternæ ignominiæ nota inuſta inhæreat, nulla vetuſtatis carie delenda, quæ faciliùs fortaſſis elui potuerat, ſi vnà cum temporis alicuius etiam diutiſſimi termino interiret. Sed multò rectiùs & veriùs is de hoc arcano divinabit, qui meliora huic genti ominatus, eam tam diligenti cuſtodia defenſam affirmet, vt eminentiſſimam tandem Eccleſiæ arcem ocyus conſcenderet.

Tres cauſæ conſervatæ Iudæorum gentis. Primò Iudæi fideles bibliorum cuſtodes ſunt.

Secundò, conſeruantur, vt graviùs plectantur. Tertiò in ſalutem ſuam.

Prima illa vtilitas manifeſtè ex Iudæorum diſperſione ad nos redundat: Illi enim ſemper fideles cuſtodes ſacrarum literarum fuerunt, quas hodie incorruptas & inviolatas ſervant. Id etiam alicubi ſentit Auguſtinus, nequaquam fieri potuiſſe autumans, vt tanta Iudæorum conſenſio & conſpiratio in libris ſuis vitiandis & depravandis extaret, ſi in id ſtudij incubuiſſent. Hieronimus etiam in eadem opinione eſt: nam ſi probabile ſit, alicubi Hæbreorum perfidia ipſos fontes corruptos & turbatos eſſe, illa potiſſimum loca (inquit) mendis ſqualerent & commacularentur, quæ de Chriſti adventu loquuntur & commemorant, quæ quidem multò apertiùs de eo pronuntiant Hebraica lingua prolata, quàm vulgata Latina verſione reddita: in hunc ſenſum illi facilè quidèm damus Hebraici

Auguſt. de civitat. Dei lib. 15. Hieron. in 6. Iſaiæ verſus finem.

 idiomatis

idiomatis puritatem Iudæorum diligentia cuſtoditam ad nos vberius promanaſſe: non opus tamen habuit omnipotens Deus, vt ſi aliter de interitu iſtius gentis ſecum decreuiſſet, ideo à propoſito decederet, vt verbi ſua puritati conſultum eſſet. Diuinæ enim vocis ea vis eſt, vt nullis hominum commentis deprauari, nulla annorum canitie & ſenectute deflorefcere, nullis hoſtium conatibus opprimi & coerceri poſſet. Non noſtra prouidentia, aut Iudæorum vigilantia diuini ſermonis conſtantia & æternitas ſtabilita eſt, ſed à Chriſti promiſſione robur ſuum accepit, qui ſic promulgat in Euangelio, *Amen, amen dico vobis, quod, donec tranſeant cœli & terra, iota vnũ, vel apex vnus non tranſibit ex lege, donec omnia fiant.* Quamvis ergo nos Chriſtiani hodie lætemur omnes & gaudeamus, quòd Iudæos Chriſti hoſtes & inimicos, veteris tamen teſtamẽti propugnatores habeamus, nequaquam tamen nobis dubium videtur, quin etiamſi funditus euerſa iſta natio fuiſſet, mille modos & vias inueniret deus, quibus ſacrorum canonum maieſtas ſalva & illæſa ad noſtra tempora transfuſa fuiſſet.

Verbum diuinum Dei potentia incorruptum ſeruatur.
Mat. 5. 18.

Illud, quod ſecundò occurrit, de ſupplicij grauitate, qua vehemẽtius plectitur ſuperſtitioſa gens, quã ſi ęterna obliuione torpeſceret, licet habeat aliquid, in quo cõtentionis ſtudioſus quiſpiã inſiſteret, facilè tamẽ dilui & repelli poteſt. Nam vt illud ſicco pede prætereã, vtrũm gravius ſit, morte perpetua occumbere, quàm vitã diuturnã ſed miſerã viuere, cum illi ſpes omnis adimatur, qui mortis ſomniũ dormit, alter aliquando ſe moleſtia leuatũ iri ſibi pollicetur: vt tamẽ iſta omittam, quæ nihilominus in controuerſiã cadere poſſent, illud ſciſcitari iam & ſcire etiã cupio, an vniuerſæ nationi iſta pæna infligatur, vt quo crebrius ipſorũ nomẽ in hominũ ſermone vſurpetur, & quanto latius eorũ fama circumvolitet, tanto indies turpiorẽ contrahãt ignominiæ labẽ. Si dixerint, ego viciſſim tã infinitũ numerũ Iudæorum apponã & obtrudam, qui fidei obſequio ſe deuouerunt: quamobrẽ enim ſupplicij loco reputari debeat quod in eorum tam amplum beneficium ceſſerit. Non ego perfricta fronte inficiarer, quin vehementius in hunc populũ ira excanduerit Deus, cũ ita perpetuo exilio eos affligat & puniat: verũ illud affirmo in aliũ finem reſpexiſſe deum, cum iſte inuectus caſus eſt, quã vt æterno exilio populus ſuus perderetur. Poteſt enim Deus, vt olim ex rupe æquas exhauſit, & in ſolitudine cibos ſuppeditavit, ita ex malis & aduerſis rebus,

Sect. 11.

An mors præferenda ſit ignomioſæ vitæ.

Iudæorum ignominioſa propagatio, non habenda tantum ſupplicij loco.

rebus, lætam & fœlicem vitæ tranquillitatem elicere & exprimere. Quemadmodum enim aurum igne purgatur, & multo terſius fit, & metallum flammis liquefactum longè in maiori precio habetur: eadem planè ratione & modo pij afflictione probati, non in deterius labuntur, ſed à lapſu ſe meliùs ſuſtinent. Id enim agit Deus vt id quod ſuapte natura malum & moleſtum ſit, piis & probis viris vertatur ſuo bono. Quid ergo obſtare poteſt, quò minus ex eadē ignominia iſta, qua Iudæi toti mundo odioſi ſunt, ipſorum laus aliquando & fama noſcatur & reſplendeat, vbi ad fidem conuerſi fuerint, cum diuino numini res iſta non ita ardua ſit, aut difficilis, atque iſta menſura, electis, qui veritatis cauſa multa perpeſſi ſunt, rependere ſoleat: hoc ergo ex prædictis neceſſario concluſum eſt, non eſſe populi Dei poſteros reſeruatos ad exitium, ſed deſtinatos ad vitam & ſalutem. — *Affectionis vſus & vis.*

Quoties ergo ad Iudæos oculos flecto, & eorū ſtatum intentius conſydero, toties hiſtriones in ſcenam prodeuntes mihi videre videor, qui vbi riſum diu commouerint, & ſtultitiæ ſuæ ſpectatores teſtes fecerint ſcena peracta exeūt. Ita illi profecto in mūdi theatro huc illuc obambulant, riſu omniū & ſibilis exagitati, tandem vero omnium ſcreatu & vociferatione exploſi, ſui pudore perculſi, pictas ſuas deponent veſtes, quibus aliis placebant, & priſtini erroris tenebras fugabunt & pellent, & fabula finita, ſcilicet, cū ſuis partibus defuncti ſunt, novā vitæ conditionē, modeſtā nempe & grauem aſſument. Conſiliū olim in Anglia captū fuit, de Iudæis extirpandis & è medio tollendis, ſed reſtiterunt quidā his inceptis, ſuadentes potius, vt ad Caini exemplū, cui Deus ſignū impreſſit, ne occideretur, iſta illi à Chriſtianis notati, ignominioſè vitā traducerent: placuit conſilium & morem geſſerūt. Aptiſſimè enim Caino illi parricidæ & profano homini progenies iſta dura & contumax æquiparatur: omnia profecto cōgruunt: Ille Abelo fratri manus violētas intulit, iſti Chriſtum iuſtum illum & innocentem, ô nefandū ſcelus nullis hoſtiis expiandū, tanquā furem vel homicidā aliquē turpiſſimæ crucis morti adiudicarunt: Eū ſic remuneratur Deus *vagus & erro eſto in terra ſed ſeptulo vindicator quiſquis interfecerit Cainū*: eadē pene formula reliquis denūtiata ſua pœna eſt: Iudæos enim ne ipſe quidē orbis tolerare aut ferre poteſt: ex vna enim terra in aliā cōtinuo eiiciuntur, nullū reperiunt certū locū, vbi placidè quieſcant & in vtrāq;

*Iudæi in orbe obambulant tanquam in theatro.*

*Hoc initum conſilium eſt anno 1251. ſub Henrico rege.*

*Iudæorum & Caini comparatio.*

vt aiunt, aurem obdormiant. Illi nota quędam infixa fuit, qua qui fortè obvij erant, moniti, à cæde abſtinerent: atque in iſtis divinæ voluntatis ſignificatio aliqua veluti ſcintillat, qua id velle Deum perſpicuum & planum eſt, vt clade non vaſtetur vniuerſa ſtirps Iudaica, ſed adhuc pars aliqua reſidua & ſuperſtes ſit.

Sect. 13. Sed properemus iam ad illud, quod totius controverſiæ caput eſt. Quemadmodum ergò evangelij lux radios ſuos non eiaculata eſſet in nos, niſi à Iudæorum perverſiſſima malitia retuſa & reverberata fuiſſet: ita verendum & pertimeſcendum nobis eſt, ne cùm veritatis & fidei ſol apud nos occidere cœperit, qui in occidente vivimus, illis oriatur rurſus, qui ad orientem ſunt, & dum inter nos, qui remotiores ſeptentrionis plagas incolimus, pietatis ardor cordis frigore & gelu enecetur, illorum pectora divinæ gloriæ zelo & deſiderio incendi & ardore incipiant. Nam ſi peccata & crimina illius gentis favorem Dei, quem vnà cum lacte ſuxerant, à matris vberibus adhuc pendentes, penitùs reſtinxerint: an non eadem vitia, vel turpiora, quę inter pſeudochriſtianos dominentur & imperium exerceant, fœdus illud, quod cum illis ictum voluit cæleſtis pater, diſſuere & diſſoluere valebunt? Si clemētiſſimus & indulgētiſſimus parens ſuis filijs iratus ſit, qui præceptis non auſcultarent, etiamſi in ipſius ædibus geniti & enutriti fuerant, an non multò magis ſtomachatus in nos enſem acuet, ſervos conductitios, extra familiam natos, cùm eorundum ſcelerum rei arguamur?

*Cavendum nobis Iudæorum exemplo eſt, ne Gentes etiam ob ſcelera ſua eijciantur.*

Sect. 14. Sed ne iniuſta iſta comminatio videatur, cùm tantæ impietatis ætatem noſtram inſimulem, agè, æquis libris vtriuſque ſeculi tempora ponderemus: Noſtra ſors ſiniſtram lanceam teneat, reliqua ponatur in dextra: ſi noſtra iam ſurſum elevetur lanx, altera ſubſidente, nos vicimus, ſin grauitate ſua deprimatur ſurgente alia, ſuperiores illi ſunt. Synagoga Iudaica in duas olim præcipuè ſectas diſceſſit & diviſa eſt, ſua contagione toti reipublicæ ſeminario nocentes: Alij Phariſeorum nomine gaudebant, alij ſe Sadduceos vocitari geſtiebant. Illi Moſaicæ diſciplinæ diſcipulos ſe profeſſi, puriorem tamen legis intellectum, leviſſimis ceremoniarum quiſquilijs commutarunt. Iſti omni & religionis ſenſu & honeſtatis ratione deſtituti, reſurrectionem ipſam, vitam cæleſtem, & animæ æternitatem, non verbis negare, ſed reipſa è medio tollere auſi ſunt. Nonnè eandem nunc faciem vniverſi orbis terrarum conſpicies, nonne eoſdem

*Iudæorum ſectæ præcipuæ duæ.*

eoſdem mores in omni regione graſſantes & ſe ingerentes deprehendes. Duplex peſtis totum fere mundum pervaſit: Papiſmus occidentem occupat, Turciſmus dominatur in oriente: illius inventor & patronus Papa Antichriſtus, iſtius magiſter & propugnator Mahometa. Turcæ ergo Machumetæ ſatellites Sadducæis illis reſpondent & pares ſunt: Pontificij Papæ ſtipatores, Phariſæos illos imitantur: primam ego claſſem, ſceleris illam & omnis nequitiæ colluviem intactam dimitto, & ne ſalutatam quidem prætereo: qui non tam remoti à nobis regione ſunt, quàm à religionis integritate, quam nos colimus, disiuncti & divulſi: taxandi mihi Phariſæi noſtri potius videntur.

Quæ hæreſes nunc reſpondeant Iudæorum ſectis.

Veteres illi Phariſæi hypocritæ erant, avari porro, tum ſuperbi, poſtremò crudeles: eorundem plane vitiorum hæredes papiſtæ ſunt: hoc ipſis parentum ſuorum teſtamento legatum eſt patrimonium. Phariſæorũ hypocriſis ita in Evangelio depingitur: illi terram pelaguſq; ambiunt, vt vnum proſelytam ad partes ſuas trahant, qui vbi ad eos acceſſerit, multo diſcedit nequior: illi curioſe res leviores & exigui momenti diligentius curabant, toti erant in poculorum lotione, purgatione patinarum, ſolutione decimarum, grauia tamen legis opera æquitatem, miſericordiam, iudicium facile prætergreſſi ſunt: An non vera iſta effigies papiſtarum eſt? ſi vnquam phariſæos videris, & iſti tibi noti erunt de facie. Quas illi terras itinere dimetiuntur, quam periculoſa navigatione mare transmittũt, vt vnum vel alterum corrumpant, qui cum eorum diſcipulus factus ſit, non credibile dictu eſt, quàm à ſe nequitia ſuperetur? Iſti tyrunculi ſeditiones concitant, ſubditorũ animos diſtrahunt, ipſum principem conſpirantes & coniurati adoriuntur, qui pro tanto ſcelere condignas iam in Anglia noſtra perſolverunt pœnas. Nonne etiam iſti recentiores Phariſæi ſeverius in illum animadvertere ſolebant, qui carne veſceretur diebus ieiunij indictis, aut coram idolo ſe non proſtraviſſet, vel frontem non ſignaſſet cruce, quam ſi aut hominem iugularet, aut cum muliere adultera admiſiſſet ſcelus?

Sect. 15.
4. Vitia Phariſæorum.
Matth. 23.
Phariſæi & Pontificij inter ſe comparantur.

Phariſæorum & Pontificiorum hypocriſis deſcribitur.

Illi porro toti inhiarunt lucro, avaritiæ deditì, devorarunt viduarum domus falſo longarum precum prætextu: docebãt melius eſſe non opitulari parentibus, quam donum non offerre ſacerdoti, illos deſerendos eſſe potius, etiamſi inopia premantur, quã non adeundum cum ſacrificio altare etiamſi opimũ ſit. Nonne iſtorũ exemplo

Avaritia vtriuſq; claſſis Iudæorum Papiſtarum.

Monachi illi vulgò fratres dicti oſtiatim mendicantes, in ſingulas penè familias ſe ingeſſerũt, & vndiq; omnia ad cœnobia ſua corraſerunt, cum parẽtũ illorũ poſteri, qui tã profuſa liberalitate ſe poſſeſſionibus ſuis exuerãt, ſumma pauperie & inopia non multo poſt premerentur. Phariſæi ſuperbia inflati, & animis elati incedebant: multum propriæ virtuti tribuerunt, pietatem ſuam, quæ tamẽ fictitia & ſimulata fuit, plurimum oſtentantes: Ecquid aliud nunc faciunt Papiſtæ, qui meritis ſuis & operibus deum placari poſſe docẽt? Truces porro & immanes erant Scribæ: in Chriſtum ipſum, iuſtitiam noſtram manus ſanguinolentas iniecerunt, furem & latronem carcere & compedibus liberarunt: & quid Pontificij? Illi Chriſti membra mordent & lacerant, ſanctiſſimos viros anathemate detrudunt ad inferos, improbos & perditos in ſanctorum albo collocant. Qui Deo non probantur, ipſis placent, & quos divinum numen inimicorum loco habeat, iſtis ab intimis, & ab ipſo complexu ſunt.

Superbia eorum.

Crudelitas.

Sect. 17. Sed ne dum raſos iſtos & calvos Italos taxamus, noſtrates ſe inculpatos ſubterfugere poſſe exiſtiment, cupio etiam, vt ipſi diligentius mores ſuos penſitantes meminiſſe voluerint, res vna in ruiam ſuas nutare, cum Iudæi ſuccinctis iam lumbis reditum ſuum accelerent, niſi tempeſtivè ſibi vitæ novitate proſpiciant. An quiſpiam quæſo eſt, qui ſi iuſta lance illarum etiam regionum vitia & nævos trutinet, in quibus Evangelij profeſſio floret & viget, non ad ipſum penè peccati apicem aſcendiſſe illas & evectas eſſe dicat. Si vndiq; circumſpiciat, ſi nobiles, infimos, opulentos, egenos, eruditos, imperitos ob oculos ponat, ſingulos deformes & prodigioſos ſuæ libidinis fœtus parere & parturire, non animo fingens concipiet, ſed reipſa id probans experietur. Si aulicæ vitæ primò te ſpeculatorem conſtituas, aulicorum luxum & delicias, ſat ſcio, criminaberis: omnes ibi ſplendido veſtitu & peregrino amictu volitant, nitidè compti, concinnè & molliter compoſiti ambulant, in Gallos Italos tanquam nova induta forma transmutati incedunt, qui mollitiem pluſquam muliebrem nimium effœminata imitatione exprimunt: Iſto ferè nomine à Propheta olim taxati Iſraeliti ſunt, *accumbunt* (inquit) *in lectis eburneis, bibunt in crateribus vini, & præſtantiſſimo vnguento vngunt ſe, neq; afficiuntur ægritudine propter confractionem Ioſephi*: ſi ad ruſticam vitam contemplandam deſcendas,

De vitiis noſtræ ætatis.

Aulicorum mores.

Amos. 6. 6.

cendas, ibi ſordida omnia & agreſtia occurrent: inter ruſticos fraudem, dolum, avaritiam dominari, atque aratrum ipſum comitari conſpicies: Iſtos Propheta ſic increpat: Dicunt, quando tranſiverit hoc novilunium vel Sabbatum, vt vendamus commeatum, & aperiamus frumenti horrea, minuendo Epſa, & maius faciendo pondus ac pervertendo laucibus doloſis. Si ad divites te conuertas, illis fenerandi, & quacunq; iniuria opes congerendi & cumulandi cupidinem amicam admodum & familiarem eſſe tibi compertum erit: In quos ſic denuntiat Eſaias. Væ coniungentibus domum domui, agrum agro adhibentibus, &c. domus veſtræ deſolationi erunt (iuravit Deus) magnæ & præſtantes. Si pauperum tecta intrare digneris, & eorum moribus te aſſueſeceris, nihil præter querelas, iurgia, vociferationes audies, furta etiam, rapinas, inimicitias deprehendes. de quibus verè prædixit vates: Ne creditote amico, ab ea, quæ cubat in ſinu tuo obſerva fores oris tui. Nam filius turpitudine afficit patrem, filia inſurgit in matrem ſuam, nurus in ſocrum ſuam, inimici cuiuſque ſunt domeſtici ipſius. Si doctorum & literatorum claſſem ſpeculari cupias, legiſperitos nummorum plus, quàm iuris ſtudioſos, avaritiæ magis quam iuſtitiæ miniſtros dices: neque hic ſilet idem Propheta, ita in iudices invectus: Vt maleſaciant ambæ manus ſtrenue, princeps poſcit & iudex pro retributione, &c. Theologos præterea oſcitanter victitantes, multos gregem non paſcentes, quippe quod pluribus præficiantur, vel inepti ad docendum ſint, ſed in decimis tamen ſuis colligendis mirè aſtutos & providos reperies. De quibus Zachariam ſic loquentem audiamus: Oves erraticas non viſitant, ætate teneras non requirunt, & fractas non curant, ſed carnem pinguioris comedunt, & vngulas earum perrumpunt. Si poſtremo imperitam & rudem plebeculam adeas, monſtri tibi & prodigij loco erit, ſi reſciveris, quam rudis ea ſacrarum literarum ſit, quam divini cultus ignara, quam porro verſuta & petulans, quam ad iniurias proclivis, ad rixas parata, ad pietatis edendos fructus indocilis & infrugifera: vt olim Ieremias de populo conqueſtus eſt: A minimo eorum vſque ad maximum quiſquis eſt, deditus eſt quæſturi, etiam à Propheta vſque ad ſacerdotem, quiſquis eſt, agit falsò. Quis ergo eſt, qui iſto modo per corruptos temporum noſtrorum mores animo diſcurrens, pœnam

[Margin notes: Divitum avaritia. — Amos. 8.4. — Iſa. 5.8, 9. — Pauperum vitioſi mores. — Micah. 7.5, 6. — Micah. 7.3. — Theologorum incuria. — Zach. 11.16. — Plebeiorum turpis & ſordida conditio. — Ierem. 6.13.]

illam gravem & acerbam præſagire non poſſit, quàm nobis minatur Deus, niſi divinæ vindictæ curſus noſtra pietate ſiſtatur.

Sed calumniabitur fortaſſe quiſpiam, Iudæorum me delicta extenuare, agrauare aliorum, cum ita ſeverè Chriſtianis iudicia Dei denuntiem: nam & ipſi Iudæi etiam ætate præſenti hac facinoroſi ſunt, & atrocium multorũ ſcelerum ſibi conſcij. Primo leviter à me peccatum eſſet, ſi mea oratione cõmunis huius ætatis culpa exaggerata paulo gravior & põderoſior, quam merita eſt, exiſtimetur. Quemadmodum mediocriter medicũ lapſum iudicamus, ſi ęgroto inſuſurret, morbum vehementer aggraveſcere, cum miteſcere incipiat, ne eius iniuria & negligentia vulneris cruditas & aſperitas latius ſerperet & diffunderetur. Nam vt proni omnes male affecti & morbo laborantes ſunt, ad concipiendum & ſperandum meliora, ita qui peccati ictu vulnerantur, eius virus & contagium ſatis acuto iudicio non ſentiunt, ſed blandius ſibi plerunq; aſſentantur, quam opus eſt. Sed agamus iam, involemus in Iudæos, ſceleratam ipſorum vitam, & peſtiferos mores in lucem & conſpectum omnium proferamus: eadem trutina etiam noſtrorum ſcelerum pondus penſitemus, vt omnibus iam appareat & demonſtretur, de utrius impietate conquerendi iuſtior cauſa oblata ſit.

Levius crimẽ eſt vitia exaggerare.

Iudæorum familiæ, ne videar reticere aliquid, quod ipſis recidat in vituperium, tribus maximis vitiis ſcatẽt, (quę ego ipſa capita & fundamenta omniũ vitiorũ & ſcelerum rectius dixerim) avaritia ſcilicet, crudelitate, contumacia: adderem etiam quartum genus, ſeditionem nempe, ſed ea traiecta eſt in vltimum caput. Mirum dictu eſt, quam avari Iudæi ſint, & nummorum cupidi, quã ardenter aurum & argentum ſitiant, quibus modis, fœnore, fraude, cõtractibus, commutatione, nummos venentur & aucupentur. Fœneratores iſti omniũ iniquiſſimi & miſerrimi ſunt: ſe mutuo vſura corrodere & devorare, nefas habetur & illicitũ, vicinos tamen, qui ex gente ſua non ſunt, ſuis technis omnib. bonis ſpoliare & denudare, ludus iſtis & iocus eſt. Chriſtiani veſtes nonnunquã Iudęis cogebãtur pro pecunijs oppignorare: multi cum illis rem habentes ad ſummã inopiam coacti ſunt. Id tandem proſpicientes Chriſtiani principes, quanta calamitas ſubditis impenderet, niſi opportuno tẽpore ſubvenirent, Iudæos è regno ſuo exturbarunt & expulerunt. Id factum in Anglia noſtra ſępius eſt, Londini freques ſenatus convocatus & in-

Tria inſignia Iudæorũ vitia.

Avaritia Iudæorum.

Nauclerus. volum. 2. Generat. 44. Ann. 1291.

Sub Edvardo quarto.

indictus fuit, vbi de Iudæorum diſceſſu & exilio edicto cautum fuit:idem etiam aliis temporibus Senatus conſulto decretum fuit. Henricus tertius, cùm in terram ſanctam proficiſci decreviſſet, 8000. marcas à Iudæis expoſcit & exigit, qui exilio mulctari mallent, quàm tantam pecuniam pendere, coacti tamen ſunt, dum inſtaret & vrgeret Rex, eius edicto parere; alio anno ducenti quadraginta duo Iudæi laqueo, ſententia mortis de illis lata, vitam finierunt, ob diminutos & attenuatos regios nummos. Ranulphus lib. 7. cap. 38. in polychron. Iudæorum crudelitas.

Pudet me porrò, immò horreo de iſtius gentis feritate & immanitate referre & commemorare: Conſueverunt errones iſti clanculum infantulos ſurripere, & clavis & pugionibus transfigere, & teneram cutem variis tormentis adhibitis lacerare, (ô nefandum ſcelus) iſto modo Chriſtianis Domini ſui mortem in cruce exprobrantes. Soerat. lib. 7. cap. 16. Scribit Hiſtoricus quidam bonæ fidei, Iudæos, dum ludos faciebant, non Chriſtianos ſolùm cachinnis & iocis agitare, ſed in beatiſſimum Chriſti nomen maledicta & convitia iacere ſolitos: atque eò abrepti ſunt, ſiue præ nimia ebrietate furentes, ſiue mentis inſania impulſi, vt puerum Chriſtianum cruci affigerent, atque ibi pendentem, cum ei pro tempore Chriſti perſonam affinxerant, non ſolùm ludibrio habuerint, verùm verberibus ad mortem cæſum continuò inſectentur: quod tam egregium facinus cùm in vulgus exierat, imperatoris iuſſu, pro ſcelere, quod ioco commiſerant, (vt ſcribit author) ſeriò pœnas luerunt. Pueri à Iudæis immolati. Legimus in Anglia noſtra, Iudæos ſub Henrico tertio, eò impudentiæ & impietatis provectos, vt Norwici infantulum vnum in cruce extenſum, multo cruciatu interficerent: alteri Northamptoniæ pari exemplo crudelitatis, eodem planè modo tractato vitam ademerunt. Anno 1283. Cranzius lib. v. cap 40. Wernerus in faſciculo temporum. Pragæ, qui Bohemiæ Metropolis eſt, (vt memoriæ proditur, anno ad latus hic deſcripto) iuvenem Chriſtianum ad crucem rapiebant. Bernæ etiam puerum interimunt, litantes, vt creditur eorum ſanguine, qui in facinore deprehenſi ſummo à Bernenſibus ſupplicio affecti ſunt. Quàm hoc belluinum & crudele eſt, in infantes innocentes & nihil cogitantes ſævire, eorum tenella membra diſcerpere, & dulcem ſanguinem diſpergere? ſed quam hoc fidem omnem ſuperat, patrem Iudæum ne filio ſuo peperciſſe, ſed in ardentem furnum præcipitaſſe, quòd præſens tantùm fuiſſet inter Chriſtianos, dum cæna dominica perageretur. Pater Iudæus filium interficit. Enagrius. lib. 4. cap. 36. Quis crederet ita

 quem-

quempiam furibundū & inſanum extitiſſe,vt quod ipſa bruta animalia non facerent, quæ fætus ſuos nutriunt & fovent, id ratione præditus homo patraret.

Iudæorum contumacia.

Nunc etiam paucis examinemus, quam inflexibilis Iudæorum obſtinatio ſit, & quàm miſerè veluti turbine aliquo, ita ſuperſtitionis errore rotentur & agitentur: qui à ceremoniis ſuis ſe nullo modo abſtrahi patiuntur,vt iſti diuortio mortē ipſam prę ferant.Iudæus quidam in Anglia Teuksburiæ habitans, die ſuo Sabbati in cloacam decidens, non ſinebat ſe extrahi & elevari è luto,quia ille dies ipſis feſtus & ſacer ſint:Interim Comes Gloverniæ,rumore ad ſe delato, vetuit ne ſequenti die evelleretur, quia Chriſtianorum erat Sabbatum:atq; ita miſer iſte fœtore & cæno ſuffocatus periit: conſimilis caſus eveniſſe ſub Conrado Epiſcopo Magdeburgenſi fertur. Iſta narratione iam patet,ne plura huiuſce rei cōgeramus exempla,quanta contumacia iſtorum animi indureſcant & obfirmētur.Non inanis porro labor erit,neq; perdemus operam, ſi aliquid inſeramus de blaſphemia& contumeliis ipſorum in Chriſtum.Obviam mihi ſe præbet exemplum quoddam ad hanc rem ſelectiſſimum.Iudæus certus quidam,cum mulier inſtanti die ſolenni & feſto,ad eum veſtem ſuam repetitum, quam pignoris loco pro pecunia accepta mutuò, apud enim depoſuerat,ſe veſtē redditurum & debitum condonaturum dixit, ſi panem azimum,qui in cæna dominica diſtribui ſolitus erat,vtebantur enim azimo(ea fuit illius tēporis cæcitas)domum ſecum afferret:fecit mulier, quod iuſſa eſt: panis fruſtū,quod ori ingeſſerat,ſingulis enim partio quædam miniſtratur,iterum evomit & expuit:tradit etiam Iudæo linteo ſervatum. Ille acceptū panem gladio trāſmiſit:è vulnere defluit ſanguis,(hoc tamen fabuloſè infarcitum à pontificiis facile crediderim, vt verè carneam panis illam molem conſecratam evincerent.) Multi in domum irrumpentes, hoc palam facto, eum ex ædibus ſuis ad ſupplicium extulerunt.Iſtius farinę facinora multa hiſtorici ſcriptis tradiderunt,ſi ex eorum libris excerpta huc transferre velim,quod prudens ſcienſq; devito,cum videor mihi paulo longius in iſto loco inhæſiſſe.Tantum odium illud deniq; & tam acerbum eſt, quo frementes Iudæi in Chriſtum inſaniunt, vt facile inducant animum,ad quamcunque aliam ſectam,quam ipſius fidem deflectere, & applicare ſe: vt hiſtoriæ loquuntur eos Talmud Babiloni-

Iudæus è cloaca extrahi die ſabbati recuſat.

Ranuphus in polyc.lib.7. cap.37.

Centur.13. cap.10.

Nauclerus.

Iudæus pane ſacramentali abutitur.

Bibliander. tab.10.

Iudęi Talmud Turcarum Evangelio anteponunt.

tum, volumē illud, quod nunc Turcæ in precio habent, ex Ethnicorum dogmatis, & Moſis præceptis promiſcuè conditum, & conflatum, iuris ſui civilis loco recepiſſe & approbaſſe; Expoſui iam & patefeci Iudaicę ſectæ fœdam & depravatam conſuetudinem: multum tamen de eius atrocitate decedet & detrahetur, ſi certamen & lis cum pſeudochriſtianis inſtituatur.

Iudæi non tam atrociter peccant, quam qui profeſſione Chriſtiani ſunt.

Sect. 22.

Primo, quia imprudenter delinquunt.

Nam primo Deus ab illis ſtrictiorem vitæ rationem exiget, qui ſcientia imbuti & inſtructi nihilominus tamen labuntur & impingunt: illorum error tolerabilior videtur, qui ignorantes & neſcientes delinquunt. Quemadmodum qui à via declinarit, & ducē nactus & oculis valens, ſponte abductus in devia videbitur, qui autem aut comitem itineris non habeat, vel lumine careat, ſi titubet interdum & ſupplantetur, aut extra viam excurrat, eum imbecillitate lapſum dicimus: Deinde, quibus Iudæi illaqueantur, vitia, ea non in propinquos aut cognatos ſuos exercita ſunt, ſed in Chriſtianos, quos illi advenarum & extraneorum loco habent, expromuntur. Avari ſunt, ſed non fœnerantur vſura ſuis pecuniam: crudeles ſunt, id alienigenæ primi ſentiunt: profani ſunt, Chriſtum, quem non noverunt, ludibrio habent: Inter Chriſtianos contraria hæc omnia ſunt: hi cum vſuram exigunt, perſonam nullam excipiunt: ſi crudelius aut durius cum quoquam agere velint, promiſcue illud perpetrant: Iſti deniq; Chriſtum contumelijs appetunt: id eſt, eius honori detrahunt & derogant, (de ijs loquor qui externam quādam præ ſe ferunt religionis ſpeciem, non qui intus in corde & vere Chriſtiani ſunt) illius in quā gloriæ adverſantur & inimici ſunt, non qui ipſis incognitus aut obſcurus ſit, vt Iudæis eſt, ſed quem profitentur palam & colunt. Hoc porro tenendum eſt, horrenda illa, quæ iam nominantur, vitia, non poſſidere totum nationis, cum qua contendimus, cætum, ſed in certis quibuſdam, qui præ cæteris audaciores ſunt, regnare & dominari: at quibus noſtrę regiones corrumpuntur, crimina, maximæ fere vbiq; parti inſidiantur & laqueos iniiciunt. Poſtremo illud ſciamus, peiores fuiſſe Iudæos prioribus ſeculis, ad honeſtiores indies & cultioris vitæ mores eniti & contendere: at ordo penitus inverſus eſt apud nos, non enim vidit ſuperior ætas homines maleficos, aut ita numero frequentes, aut tanto ſtudio vitiis deditos, quibus nunc terra onerata eſt.

Secundo Iudæi licet iniqui in gentes ſunt, ſe tamen mutuo non opprimunt.

Tertio Iudęorum vitia non ſunt propria ſingulorum.

Quarto Iudęorum improbitas indies minuitur.

Sect. 23.

Huc ergo iam redit tota res, quod cum decreſcat indies

& deferveat Iudæorũ contumacia magnũ verò inter pſeudocatholicos improbitas incrementũ accipiat, neceſſario cõſequi debere, illos ſi reſipuerint Deum favore ſuo complexurum denuò, iſtis, ſi deſipiant adhuc, iudicia comminari. Atq; iſta omnia ſic intellecta velim, non vt gentes foris penitùs ejiciendas exiſtimandum putem, cùm ad eccleſiam Iudæi convolare cœperint, ſed vt conſtanter teneamus, repudiatis prius, qui Chriſtianam profeſſionem ſimulabant, hypocritis, vnum electorum cætum ex fidelibus vtriuſque gregis, gentium nempe & Iudæorum collectum, Deo in exitu mundi ſacrum fore, qui omnes Chriſto Domino ad iudicium venienti ovantes ibunt obviam. Cum idcirco iam, vt vno verbo conſtringamus hæc omnia, paucos admodum filios è Iudæorum natione, eccleſia antiquis ſæculis pepererit & enixa ſit, ſi ſtirps illius gentis, etiamſi latè diffuſa & diſſipata, non exciſa tamen penitùs & eradicata fuerit, cum aliæ vagantes & errantes nationes citiſſimè extinctæ ſint, ſi porrò magis magiſq; ira divini numinis in gentium poſteros ob peccata inflammari videatur, quis dubitare & ambigere ampliùs poteſt, quis futurus ſit Iudæorum exitus? Nihil iam nobis moram facit, quo minùs finis huic toti negotio imponeretur, niſi vnus alius, & alter locus expendendi reſtarent, ad quos celeri pede properamus.

Iudæis vocatis non reijcientur Gentiles credentes.

Concluſio capitis cum repetitione prędictorum.

Prima ratio pro vocatione Iudæorum.

Secunda.

Tertia.

# CAPVT VI.

## *Refelluntur hic quorundam opiniones, quæ ſuſceptam defenſionem oppugnare, vel aliquo modo lædere viderentur.*

Sect. 1.

ETiamſi veritatis ſemel iacto fundamento, errores omnes facilè labaſcant & concidant, vt non opus ſit dedita opera in eos impetum facere, hoc tamen iſtius cauſæ, quæ in manibus eſt proprium videtur, vt quò mea ſententia firmior & probabilior, & vndique munita exeat in publicum, aliorum etiam opiniones per ſe quidem imbecillas

becillas & languidas, vt aliis tamen factum ſatis ſit, enervarem iam & infirmatem. Triplici ergo hominum ſectæ & claſſi mihi intendenda lis eſt: primò illi in ius vocandi ſunt, qui è regione noſtris partibus adverſati, non aliter in fine ſæculi Iudæos vocandos cenſent, quam aliis etiam ætatibus Eccleſiæ iungebant & alligabant ſe. Cum ijs ſecundò manus conſerendæ ſunt, qui de concurſu & conſpiratione quadam illius nationis imperium aliquod ambientis comminiſcuntur multa, & ſomniant: vltimò velitanda eorum tam levis aſſertio eſt, qui Heliam & Henoch verſus finem mundi reſuſcitandos, & iterum victuros eſſe ſeriò defendunt, quorum authoritati cedentes Hebræi ad fidem tandem laceſſentur & compellentur.

Tres opiniones refutandæ ſunt.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Cum primo genere eo nunc leviori armatura concertandum erit, quo ſpiſſius in prima acie, id eſt, fronte huius libri milites noſtros eduximus: tranſigenda res tota eſt cum pereruditoviro, à cuius ſententia ego lubens non diſcederem, niſi veritatis maieſtas & dignitas plus apud me valeret. Ille in hanc ſententiam ſcribit: *Certum eſt* (inquit) *quamdiu vllæ gentes fructum Evangelij participes erunt, tandiu quoq; aliquos ſemper fore ex Iudæis, qui fidem in Chriſtum amplexentur.* Vera iſta quidem ſententia eſt, ſed aliquantò à Pauli ſententia eo loco remotior & diſiunctior. Paulus enim ex gentium excidio Iudæorum converſionem conſecuturam prædixit: quid enim hoc aliud ſonat (cum intrarit plenitudo.) Ille autem vtroſq; ſimul fructus Evangelij percepturos docet Apoſtolus certum quoddam futurum tempus deſignat, alter infinitũ & incertum, cum illud (ſemper) interponit. Tertio cum ſuggerit aliquos Iudæos fore, diverſum omnino & diſcrepans videtur à mente Pauli, qui totum Iſraelis populum ſalutem adepturũ concludit. Sed non ego eam faciam viro docto iniuriam, quin fas erit illi ſeipſum exponere & interpretari: alibi enim ſic diſſerit: certo ſtatui debet, plurimos ex Iudæis ſalutem per Evangelium poſteris ſæculis conſequuturos. Si ex iſtis verbis igitur eius mentem expiſcandam potius quis ſentiat, quàm ex priori ſententia, nec ego quidem repugnabo: illud tantum dico planiorem efflagitaſſe orationis ſtilum myſterium illud, de quo ibi Paulus divinat, quodque ipſe ſuis commentariolis illuſtrare voluit. Verum ſi quiſpiam alius ſurrexerit, qui alterius dicti ſenſum defendere & tutari ſtudeat, cum ad

Sect. 2.

Prima opinio eorum, qui Iudæos & Gentiles promiſcuè vocandos cẽſent.

Hyperius in Epiſt. ad Rom. cap. 11. Verſ. 25.

1.

2.

3.

In verſ. 12. eiuſd. capitis.

ſuperiores paginas relegamus, id vnum petentes, vt nihil præiudicati afferens, æqua trutina intermiſtas rationes perpendat: vlterius ego nihil addendum cenſeo: id tantum cogitet, ſic omnipotenti Deo proviſum eſſe, vt quemadmodum olim, cum ſtatus Iudaicæ republicæ integer & ſalvus fuit, ipſi toti nationi Deus ſe amicum & familiarem præbuit, qui electiores tantum Gentiles idque rarò benigno vultu aſpexit, & deinceps transverſa vtriuſque ſorte, iſtos vlnis ſuis amplexus eſt, illos digito tantum, vel nutu (vt ipſe eorum mentes permovit & pupugit) accerſivit, ita rerum omnium revocatâ viciſſitudine primogenitum ſuum filium, quem prius abdicarat, domum reducet.

Viciſſitudo vocationis, gentium & Iudæorum.

Sect. 3.

Nunc reprimendi & cohibendi ambitioſi eorum ſpiritus ſunt (Iudæos intelligo) qui cum omnium iudicio, infimi & humillimi videantur, ſibi tamen nimium blandientes, inani regiæ cuiuſdam maieſtatis expectatione animos lactant. Neque ſi temporum hiſtorias euolvamus, defuiſſe vnquam eorum conatus reperiemus, vt ad concupitum honoris apicem aſpirarent. Hoc fortaſſis incitamento fuit duobus ſeditioſis illis Theudæ & Iudæ, qui ægre (vt verſimile eſt) ferebant, Romanos in patriam ſuam ditionem & imperium vſurpare. Hinc credibile eſt imperatores Romæ quoſdam incitatos, vt Davidis progeniem, de qua multa acceperant radicitus extirparent & evellerent: qui tamen agreſtes quoſdam homines illo ſatos ſanguine arripientes, cum quæſierant ex illis de rebus ſuis, & illi ovibus paſcendis & cuſtodiendis armentis ſe operam dare reſpondiſſent, à propoſito ſuo deſtiterunt. Res luce ipſa clarior eſt, Iudæos vbicunq; verſarentur, ſemper fuiſſe ſeditionis authores & principes. Iuvenis quidam aliquando ſibi Moſis nomen arrogaverat (quo tempore Iuſtinus imperabat) atq; eò audaciæ evectus eſt, vt nimia armatus confidentia Negrã civitatẽ obſideret, obſeſſam caperet, captam ſervaret, qui cum Elesbaane quodam fortiſſimo duce committens prælium occiſus eſt. Eodẽ imperatore tenente imperium, poſt annum primũ, in Paleſtina Iulianus quidã nomine, genere Iudæus, ipſorum electus eſt rex. Conſimilis etiam coniuratio in annum imperij eius viceſimum nonum incidiſſe fertur: ſed providus imperator ſatis opportunè iſtis malis occurrens

Secunda hæreſis de Iudæorum terreſtri imperio.

Act. 5.

Imperatores Romani Davidis familiã extirpare conãtur.

Niceph. lib. 17. cap. 6. Iuvenis Iudæus ſe Moſem fingit.

Rex quidam electus Iudæorum.

Paulus Diacon. lib. 16.

rens citò, iſtam eorum inſolentiam ſurgentem fregit, & propulſavit pullulantes iniurias. Quid inferrem mentionem priorum illorum temporum, in quibus ſæpiſſime à Iudæis motæ ſeditiones ſunt: quomodo Pilatus ſeditioſis Galiælis reſtiterit, vt in Evangelio legitur. Quanta ipſorum clades facta ſit imperante Claudio, in ipſo die paſchatis, cum in templi veſtibulo tumultuarentur. Magna etiam orta rebellio in Iudæa eſt ſub Nerone, dum Florus res illius provinciæ procurabat. Poſtea dum Traianus ſumma rerum potitur, maximam AEgypti partem Iudæi ſuis motibus perturbarunt. Sub Gallo Cæſare Iudæi, qui Diocæſareæ in Paleſtina habitarunt, Romanorum iugum cervicibus ſuis excutere tentarunt. Cum Iulianus aliquot poſt annos ad rerum faſtigium evectus fuiſſet, Iudæi templum cum regno occupare aggreſſi ſunt. Huiuſmodi non pauca exempla proferre liceret, ſed ſatis manifeſtò ex iſtis liquet, quæ iam attulimus, quanto ſtudio ſuperba iſta & elata gens ad veteris imperij ruinas preſtandas exarſerint, ſed perpetuo eorum conſilia diſſipata, conatus prohibiti, labores prorſus perditi ſunt.

Lucæ.13.1.
Euſeb.l.2.c.19.
Euſe.l.2. c.26.
Euſeb.l.4.c.2.
Sozomen. lib. 4.cap.6.
Socr.l.3.c.17.

Verum ſic aliquis inſurgere poſſit: Inanes Iudæorum conatus omnes fuerunt, in quibus ſuperiori ætate deſudarunt, & in caput ſuum reſilierunt, quia nondum tempus illud advenerat, cum res ſuæ collapſæ ſtabilirentur, & reſarcirentur reipublicæ ſuæ ruinæ: quid tamen nunc obſtabit, vel impediet, quo minus præfinito iam inſtante tempore, illi libertatem ſuam & dignitatem priſtinam obtinerẽt. Reſpódeo prohibere pręcipuè duo, ne id contingat, vnũ, ne iſto modo eorum mentibus hæreret altius infixa ſomnolẽta illa opinio, quæ primò ex turpiſſimo errore genita eſt, Meſſiam ſuum inſurrecturum tandem potentia & imperio inſtructũ & præmunitũ: alterũ, quod, cum læto res noſtrę & ſereno aſpectu rideãt, fides pręfocetur potiùs, & ſic vera noſtra & efficax vocatio intervertatur, cum Iudæi potius omnia in ipſorũ cõmodũ ceſſura arbitremur, & impedimenta ſingula è medio tollenda cenſeamus, vbi Spiritus Sãctus in vocatione ipſorum perficienda virtutem & potentiã ſuã exprimere cœperit. Illud tamen ſponte & lubens largior, nec à quopiã negari cum ratione exiſtimo, quod licet in vnũ locũ Iudæos omnes nunquã coituros arctè teneatur, ne eos regnandi cupido tentaret: illud tamen omnis controverſiæ expers eſſe, eos quanta poſſunt

Sect.4.

Duo impediunt quo minus Iudæi imperium ſuum obtinerent.

Iudæi in vnũ locum, vt cõmode fieri poſſit, concurrent.

 fre-

frequentia in vnum locum confluxuros, vt ſibi ſinguli terminis vi- ciniores, villarum & pagorum ſitu coniunctiores ſunt: Hoc etiã adiungo ſpiſſiores & numeroſiores ipſorum cœtus in oriente concurſuros eſſe, (vt indies ad nos rumore perfertur, Aſiam & Africam eorum admodum feraces hodiè exiſtere) tum quia ab eis vndiq; petantur illæ plagæ, in quibus ampliori fruantur libertate, quam ſi inter chriſtianos degerent, (Turcimus enim Iudaiſmo cognatus admodum & affinis eſt) atq; ita ibi piorum maior abundabit copia, vbi multitudo ipſa frequẽtior ſit: tum quòd ad patriam ſuam, quã propè liceat, advolare cupiant, non quòd novum honorem aucupentur (de Iudæis iam conuerſis loquar) ſed quia arctiori vinculo ſe patriis ſedibus deuinctos putent: Quemadmodum exules non ita pridem Angli ad oras tranſmarinas tranſvecti, patrias domus reviſere maluerant, atque ibi in Evangelij prædicatione elaborare, quàm apud exteras & ignotas gentes profiteri.

Iudæi cur frequentius orientem incolant.

Sect. 5.
Tertia opinio de Eliæ reditu exagitata.

Sed ſatis copioſè me refelliſſe iſtas Iudæorum calumnias alibi intelligo, vt pluribus hic ſuperſedendum ſit, & mox etiam, ſi occaſio opportunè incidat, de integro diſputationem iſtam renovabo. Enodabo nunc tertium illud, quod dubitatione aliqua implicitum videtur. Vetus error eſt ſuperſtitionem Iudaicam ſapiens, atq; ipſorum prodens aniles fabulas, qui tamen in aliorum tum veterum, tum recentiorum mentes irrepſit & intravit, facile ſua mole & pondere ruiturus, Heliã ſcilicet & Henochæ in fine ſæculi reuerſuros. Iuſtinus primò in hac hæreſi eſt, qui Chriſtum in dialogo ſuo cum Tryphone ſic loquentem introducit: Cum primo nunc adveni meo Elia non careo, quandoquidem ipſe Iohannes Elias eſt, ſed in altero meo adventu Eliam ipſum habebo propria ipſius perſona præſentem. Ab iſtius partibus ſtat Beda noſter Anglus: Per tunc Eliam (inquit) magnum mirabilemq; prophetam, vltimo tempore ante iudicium Iudæi credituri ſunt. Iſtius opinionis etiam ſtrenuus aſſertor Ambroſius, Auguſtinus, Ausbertus Magdeburgenſis fuiſſe perhibetur: huc præterea incumbit Nicolaus de Gorham, qui Pauli illa verba meditatus (*Omnis Iſrael ſalvus erit*) ſic refert, in fine mundi ſcilicet prædicante Henochio & Elia. Conſimilis etiam hodie opinio inter pontificios ſerpit, & ita inſinuavit ſe, vt eadem ſomnia & deliria de iſtorum.

Iuſtini error.

Beda in 11. ad Roman.

Centur. 10. c. 10. de Epiſ. Magdeburg.

de iſtorum Prophetarum reditu tueri & defendere non dubitent, quæ ab aliis prius conficta ſunt. Qui verò huiuſmodi de ſanctorum virorum reverſione in mundum, opinionem alunt, multa de eorum raptu fabulantur: & vt ridicula illa ego etiam riſu præteream, vtrùm ſurrepti in cœlum Empyreum ſint, vel in aerem tantùm ſupremum ſublati, ſiue in alium quempiam locum placidum & quietum tranſlati, duas tantùm opiniones attingam de iſtorum patrum diſceſſu & elevatione è terris. Quidam ſubvectos in paradiſum exiſtimant, vnde *Adamus* expulſus fuit, alii in ſinum Abrahæ ſuſceptos, vbi commorantur beati ſpiritus vſque ad extremum iudicij diem. Qui primum ſtatuunt, dubiis quibuſdam & ambiguis quæſtionibus torquentur, ſcilicet an mortui illi ſint ante mundi exitum rurſus excitandi, & ſi illud negetur, quomodo ſine cibis victitent: Inepti profectò homines & parum conſiderati, cum vtrumq; Henochum ambulaſſe cum Deo, Eliam elevatum in cælos, neutrum verò mortuum, Scriptura palam prædicat: & quid cibo opus erit, cũ omni corruptione & indigentia exuta & liberata eorum corpora ſint. Sed vbinam Paradiſus iam ſitus eſſet, cùm omnia loca diluvii inundatione obruta habitum ſuum priſtinum depoſuerant, niſi de vno Paradiſo cautũ quis dixerit, quod quidam ex ſcholaſticis etiam affirmant: porrò, quàm hoc alienum à ratione eſt, ſurſum ereptum Eliam è conſpectu Elizei fuiſſe, vt demitteretur rurſus in terram: & miror profectò, ſi aliò tantùm eum corripuerit ſpiritus non prorſus aſſumpſiſſet è terra, cur Prophetarum diſcipulis obnixè id petentibus, tam ægrè ſenior Propheta hanc veniam conceſſerat, vt herum ſuum amiſſum, vt ſuſpicabantur, ita ſtudioſè circumeuntes quærerent. Scilicet novitii iſti & tyrunculi eum rurſus lapſum crediderunt, vt iſti etiam conjiciunt, at grandævus ille, cum in cœlos penetraſſe ſcivit, ſicut & nos tenemus. Porrò cùm Henochum ambulaſſe, id eſt, verſatum eſſe cum Deo teſtatur ſacer codex, num in Paradiſi anguſtias omnipotentem Deum compingemus, quem mundus ipſe non comprehendit?

*Ridiculæ quęſtiones de raptu Eliæ.*

*An Elias cum Henocho in Paradiſo ſint.*

*An Elias mortuus ſit.*

*Henochus quomodo cum Deo ambulaſſe dicatur.*

Diſputemus iam de ſinu & gremio Abrahami: hunc ſinum quietum & tranquillum portum interpretantur, in quo veluti æquore iactatæ naves, ita vitæ miſeriis defeſſi ſpiritus requieſcant. Abrahami nomenclaturam habet, quòd is pater fidelium à ſancto ſpiritu vocetur. Hunc locum inferno & terra ipſa altiorem, cœlo tamen

*Sect. 1.*

*Sinus Abrahami qualis ſit locus.*

men ſuperno, in quo piorum ſedilia ſunt, inferiorem fingunt, etiāſi ſic altercentur & litigent inter ſe. Excutiamus iam iſtam opinionem & eorum obiectionem diluamus. Verentur iſtos patres in cœlo altiſſimo collocare, quia Chriſtus primus aſcendiſſe dicitur, idcirco aliū locū excogitarūt, vt Chriſtus nihilominus ſupremos cœlos primus aperuiſſe dicatur. Iſta eorum aſſertio duobus maxime Scripturæ teſtimoniis fundata eſt: primo enim Chriſtus ipſe de

Ioh 3.18. ſe ſic loquitur, neminem aſcendiſſe in cœlos, qui non deſcenderit

1.Cor.15. prius, atque Apoſtolus ſic ſcribit, Chriſtum primitias eſſe eorum qui dormiunt. Ad primum ita reſponſum ſit, neminē in eum finem cœlos ſummos penetraſſe vt ad dextram Dei ſederet, id eſt, vt rex & dominus totius mundi veluti crearetur, præter vnum Chriſtum: quo ſenſu ſic Petrus habet, Nequaquam (inquit) David aſcendit in cœlum, nam ipſe dicit, dixit dominus domino meo, ſede à dextera mea: non negat iſtis verbis vitæ cœleſtis Davidem participem factum fuiſſe, ſed infiniti illius regni ius ad illum non pertinere affirmat, quod ſibi vt proprium vendicat dominus Chriſtus. AEquum ergo fuit, vt dominus ille noſter, qui noſtræ ſalutis dux & princeps eſt, in terras demitteretur, atque ibi afflictione Deo patri conſecratus, rediret munere ſuo perfunctus, & regnum paſſione ſua glorioſa & abſoluta iuſtitia emeritum, ſibi & ſanctis omnibus obtineret. De ſecundo loco ſententia noſtra iſta eſt: primitiæ, vna vox duplici ſenſu ſumitur: aut enim primitias dicimus, quæ ordine ſunt primæ, aut quæ natura & iure: priore modo primitiæ ſpiritus illis ineſſe dicuntur, qui tantum Chriſtiana profeſſione initiati ſunt, vt Paulus ad Romanos: altero Chriſtus primogenitus filiorum Dei appellatur, vt eodem fere loco Apoſtolus: vbi Chriſtum inter filios Dei primum introducit, non vt Deus eſt, & à patre ante omnia ſæcula genitus, ſed qua ratione humanā aſſumpſit naturam, atq; ita, vt hic non ad Dei electionem recurratur, qua ipſa creatione antiquior eſt, ſed illam temporis revolutionem reſpiciamus, in qua dominus carne veſtiri cœpit. Atq; iſto modo nō ordine & tēpore primus erit, cū Patriarchæ & Prophetę illū multis ſæculis præceſſerint, ſed virtute & dignitate primarius, ad quē ius hæreditarium ſpectat, cuius nomine & titulo reliqui omnes ſancti, tam qui prius mortui ſunt, quàm qui vixerint poſt in domum eius paternam ingrediuntur, & cohæredes fiunt. Chriſtus ergo omnium primus conſcendit cœlos, quia id Deo ante

*Quomodo Chriſtus primus omnium in cœlos receptus ſit.*

Act.2.34.

Heb.2.

*Chriſtus quomodo primitiæ.*

Cap.8.ver.23.

omnia ſæcula deliberatum fuit, vt illius vi & virtute omnes, quos elegerat, eo deducerentur: coram enim Deo nihil intereſt, quid primum quid poſterius temporis ſerie fit: idem enim illi & proviſum & ſimul præſtitum creditur.

Christus primus aſcendit, quia omnes Patriarchæ per eum cœleſtem vitam obtinuerunt, licet priores tempore ſint reſpectu humanæ naturæ.

Sect. 7.

Alia etiam obiectio occurſat: ſi inquiunt in ſuprema & extima cœlorũ parte ſedem obtinent beati, nihil ad eorũ gloriam accedere poteſt amplius in die iudicij: certiſſimũ eſt, vt nunc reſpondeã, perfectiſſima gloria iam coronatos eſſe ſanctos, neq; eã lętitiã, qua eorũ ſpiritus donati ſunt, augeri poſſe, ipſorum tamẽ corpora, quæ pauliſper dormitabunt in pulvere, plenius gaudiũ expetũt: at quid ſtatuendum erit (ais) de Elia & Henocho, quorum etiam caro iam ſurſum ſcandit. Hoc ego iam conſtanter aſſero, quod, quẽadmodũ Angelorum beatitas Chriſti adventu non amplificata ſit, aut magnificentior reddita, illi tamen nobis cõgratulati hoc tantum beneficium ſunt: & vt (quod vir doctus quidam aſſerit) ipſi Patriarchæ in ſumma fœlicitatis arce ante Chriſtũ revelatũ cõſtituti, novũ tamen ſenſerũt gaudij ſui gradũ, nato iã ſervatore noſtro, non quod eorũ ſtatus incertus ante fuerat, ſed, quod hoc æternæ ſalutis beneficiũ cũ omnibus Eccleſiæ mẽbris cõmune factũ ſit: Ita iſti cum noviſſimus ille illuxerit dies, exultabũt vehemẽter & gaudebũt, vbi Chriſtus cũ toto ſuo corpore gloriã participarit, quã iſtis illius partibus prius elargitus fuiſſet. Atq; ita dilutæ & deletæ iſtæ dubitationes ſunt:

An augeri poſſit ſanctorum gloria, qui iam in cœlis collocãtur. Beza.

Satis tamẽ mirari nõ poſſũ acutiſſimũ ſcriptorẽ (vt aliis errare liberũ ſit) ſinũ Abrahami aliũ locũ & prorſus à cœlo diſtinctũ interpretari. Parabola illa apud Lucã duo tantũ ponit loca, vnũ cælicolarum proprium Paradiſum, alterũ improbis deſtinatum gehennã: ſi alia regio præter illam cœleſtem ſit beatis diſtributa, & alius etiã locus erit præter gehennam, in qua ardebunt impii: non vidit igitur fortiſſimus iſte purgatorii oppugnator, ipſum tamen ſe iſto modo ſtabilire. Nec opus profecto habuit eruditiſſimus vir, vt alium aliquẽ locũ à ſuprema illa cœli regione poneret, ne Chriſto iniuria fieret, ſi de gloriæ & maieſtatis differentia cogitaſſet, (de qua interdum dubitare, nec ſibi conſtare videtur,) id enim præſtabit cellularum & mãſionũ, eodẽ tamẽ loco, veluti graduũ quorundã diverſitas, quod efficiet locorũ diverſorũ diſtantia & intervallũ. Diuerſo ergo loco nõ collocãdi ſũt patres ſeorſim à Chriſto: ſic enim latronẽ in cruce affatus eſt ſervator, *hodie mecũ eris in Paradiſo*: niſi exiſtimet quis,

P. Martyris error.

Sinus *Abrahami* non eſt alius locus à cœlo.

Vna beatorũ ſedes in cœlis eſt, ſed diverſæ manſiones.

rectiorem & expeditiorem patuiſſe in cœlos viam poſt Chriſti mortem, quàm qua patres ſub lege mortui ingreſſi ſunt, quod affirmant quidam, ſed turpis à ſuperſtitione error profectus eſt. Omnes igitur ſanctorum animas, vbi à corpore diſceſſerint, ſine mora Dei ipſius aſpectu frui credimus: atque ita Henochum & Eliam, ad Dei præſentiam illicò poſt raptum admiſſos tenemus: ſed tamen ponendi gradus quidam ſunt. Quo autem ordine ſpiritus cæleſtes ſuis locis diſtribuantur, Iohanni in diviniſſima viſione ſua reuelatum eſt: Thronus in cœlo conſpicitur: throno qui inſidet Filius Dei eſt: in circuitu throni duo ſpirituum ordines diſponuntur: vicinicrem regionem iuxta thronum occupant quatuor animalia, Leonem, Hominem, Aquilam, Vitulum, robore, intelligentia, celeritate, labore referentia, iſtæ beſtiæ Angeli ſunt: remotiora ſedilia numero viginti quatuor totidem venerandis & canis ſenibus tribuuntur, iſtos ſanctos omnes & beatos puta. Henochus ergo & Elias cùm terras reliquiſſent, ad cœleſtem patriam in ſublime ſublati (beatis ſalutatis ſpiritibus) locum inter reliquos ſanctos capeſſebant. Viſuntur illi quidem in cœlis cum carne: magnum priuilegium: at Chriſto poſtea aſcenſuro cum natura noſtra non faciunt iniuriam: feciſſent & reliqui ſancti, quorum etiam animæ eò prius tranſlatæ ſunt. (Nam anima vna humanæ ſubſtantiæ pars eſt, vt caro altera) Ergò ſi eò arcenda ſunt corpora iſtorum, cæterorum etiam animæ repellentur. Porrò de Domini in cœlis proficiſcentis honore ſic non decedit quidpiam, cùm ſedilia ſua ſanctis deſtinata, tanquam limites poſitos & fixos non tranſcendunt. Angeli interim, vigiles illi ſpiritus, qui præſtò ſemper in conſpectu Dei adſunt, licet admirati hoc tam mirificum opus ſint, cùm carnē humanam iſtorum patrum introitu in cælis habitare cernerent, expectabant tamen adhuc, donec filius Dei, finito iam redemptionis opere, in cœlos vnà cum carne aſſumptus, ipſum thronum conſcenderet, omni adoratione à Sanctis primò, tum ab Angelis exceptus, & in patris gremio conſidere & conquieſcere nō dubitaret. Iſte tam præclarus cæleſtium locorum ſitus, & omnium ordinum debita & concinna diſtributio, & glorioſus iſte & excelſus dignitatis gradus, ad quem filius Dei evectus eſt, iſta omnia non ſomnianti prophetæ tanquam imaginarii phantaſmatis incurſione viſa, ſed noctu ſpiritu abrepto, & divina mentis acie intuenti verè

Reuel. 4.
Tres in cæleſti regione ordines.

Elias & Henochus in cœlis vivunt carne induti.

oſtenſa

oſtenſa ſunt: In hunc enim ſenſū ſcribit diviniſſimus Propheta. Vidit antiquum dierū, ſcilicet patrem omnipotentē in cœlis, in ſolio maieſtatis pleno conſidentem: Ipſe veſtimento indutus planè niveo, capilli capitis lana puriſſima cādidiores erant: ſcintillebat ſolium, vt ignis ardens: coram illo millies millia Angelorū ſtatuuntur miniſtrorum loco. Dum iſta intentius conſyderat, ecce quidā ſimilis filio hominis, in nubibus adventare cernitur, qui ad thronū pertexit, & corā patre ad dextrā ſiſtitur, cui omnis poteſtas & imperium conceſſa ſunt. Iſta viſione iam docemur Chriſto locum quendā in cœlis peculiarem aſſignari, ad quem ne angeli quidē accedere audent, immo tātus illius loci ſplendor eſt, vt alis contegant faciem, atq; ita velati miniſtrant, & expectant dum aliquid in mādatis à Deo datū ipſis fuerit. Non opus ergo eſt, vt novus aliquis locus non in cœlis invētus, ſed è cerebro noſtro exiliens excogitetur, in quem ſpiritus iuſtorū reconderentur vſq; ad diem iudicij, cum, licet eos in ſuprema cœlorū regione ponamus, multis tamē intervallis à Chriſti habitatione abeſſe oportet & decet. Tranſeamus iam ad futiles illas de Henocho & Elia rediturïs nugas diſcutiendas. Pro Henochi reditu pugnant illo loco, vbi ſcribitur Henoch placuit domino & tranſlatus eſt exemplū his generationibus: primo reijcimus Apocryphū volumen hoc, cuius authoritati nec premi poſſumus, nec teneri debemus. Sed vt liberalius cum illis agamus, aliam reſponſionē ex ipſo loco excudemus: Dicimus ergo illas generationes hic intelligi, in quibus ipſe Henoch vixerat, etiamſi addatur particula (his) mos enim hiſtoricorū eſt multis ante ſeculis elapſā, tāquam inſtantia & præſentia recenſere & cōmemorare: Illud tamen non legitur, inſtantis ſcilicet momento futurū tempus ſignificari: quo ergo iure cum ille (generationibus his) diſerte interponit, illi vertunt & interpretantur poſtremis & vltimis. Deinde adjicitur, (exemplo erit) an nō poſſit quiſpiā nos ſuo exēplo ciere & incitare, niſi ipſe revixerit: cum non maius ſit, mortuorū exēplis viventes in terris vrgeri, quam è ſepulchris vocem quandā audiri, vt Abeli ſanguinē tanquā è pulvere locutū ſcriptura meminit. Eliæ magni illius prophetæ adventū ex Malachia aſtruunt: ecce ego (inquit Dominus) miſſurus ſum vobis Eliam Prophetā antequam veniat dies Iehovæ maximus & reverendus, &c. Eliam hoc loco pro Iohanne Baptiſta (vt vere aſſeritur) ſumi non poſſe, ideo refragantur, quod de die horrēda & terribili nunciet Propheta, cū Chriſtus (cuius ille præcurſor & anteambulo fuit) nullo tumultu aut fremitu ſed tranquille & quiete ingreſſus in mūdum eſt. Mitem

Danielis viſio. Dan. c. 7. v. 10, 13, 14.

Cœleſtium manſionum ſitus & ordo.

Iſa. 6.

Eccleſ. 44. 16.

Quomodo Henochus exemplum ſit poſteris.

An Iohannes Baptiſta Elias ille venturus fuerit.

revera ſe Chriſtus & clementem geret in pios, at proteret & conculcabit improbos,quibus offenſionis lapis erit & petra ſcandali, vtrūq; prædixit ſanctus ille & venerandus ſenex, hic poſitus eſt multis in caſum & reſurrectionem in Iſrael.

Lucæ.2,3,4.

Sed pergunt iſti,& Iohannis ipſius iudicio ſtabunt: Ille enim interrogatus negat ſe Eliam,negat Prophetā eſſe:fatemur hæc omnia Eliam ſe inficiatur,cum ſcilicet,de quo Iudæi multa emētiti erant,qui illius Prophetę animū in novum aliquod corpus immittendū credebant.Prophetā etiā ſe diffitetur, magnū illum ſcilicet ad Chriſtū reſpiciens: poſtremo verbis non gloriatur de ſe, ne oſtentationis argueretur,ſed potentia & vi vocationi ſuæ conciliat fidē.Sed vt vno verbo tota lis decidatur,ita de quęſtione iſta decernimus & iudicamus.Primo (Chriſto domino interprete) Baptiſta Elias eſt, cuius ſermo pari ſpiritus mēſura potens & efficax fuerit: Iterū ipſum verū Eliam adveniſſe etiam quodāmodo & Chriſto cōparuiſſe in mōte palā eſt. Tertio in diebus vltimis prodituros quoſdam conſtanter tenemus, qui Prophetico Eliæ animo & ſpiritu armati hoſtes & inimicos Dei peſſundabunt: vt noſtra memoria nobis Elię quidā excitati ſunt,qui verbo divino,(ſpiritu nēpe oris dei) Antichriſti vires fregerunt. Elię porro ſpiritus in Iudæis cōverſis agnoſcēdus erit, qui vt genere illi vicini & proximi ſunt; ſic etiam zeli ſui fervore magnos Prophetæ ſpiritus olim exprimẽt,cum ad Eccleſiā redierint. Poſtremo,Prophetæ,Apoſtoli, Patriarchæ omnes Chriſtum ad iudicium paratum & accinctum comitabuntur. Si quis alia de Elia & Henocho obtrudat & ingerat mendacia & commenta, petulantem illum & audacem, non refellendum argumentis ſed ſibilis explodendum cenſemus.

Cur Baptiſta ſe Eliam negarit.

Quid tenendum ſit de Eliæ & Henochi reditu.

Eliam Prophetā quodammodo repreſentāt, qui eius ſpiritu præditi ſunt.

Hæc iam hactenus à nobis diſputata ſunt,pervenimus ad exitum: Multa ego prudens amiſi,ſuccincte quędam perſtrinxi,nonnulla alio fortaſſis tēpore ſupplenda excerpſi: Si alio me non flexiſſent negotia,& ſatis amplum datum fuiſſet ſcribendi ſpatiū,plura huc adiecisse cogitabā: ſcilicet,quomodo in Chriſtiana republica tractandi eſſent Iudęi,quibus vinciendi legibus,quę porrò regnis detrimēta invehāt, quę rurſus apportent cōmoda,cum eorum ſervatæ ſtudio & diligentia ſcripturę ſacrę ad manus noſtras pervenerint,quo modo & ordine pellendi & adhortandi ad fidē ſint,quibus etiam argumentis Iudęorum calumniæ refelli poſſint,quas in ſacrum Evāgelium eructant. Seriò deniq; & vehemēter mihi admonendi eſſent Chriſtiani,ne ſi fidei doctrinam & ſalutis ſuæ curam neglexerint,Iudæi ipſis palmam pręripiant,

Quæ omiſſa in hoc tractatu ſūt cognitu neceſſaria, alibi fortaſſis conſideranda.

ripiant,cum ipſorum Deus miſertus fuerit.Sed iſta ego veluti à tergo meo relinquens,in aliud tempus prudẽs diſtuli, quod ſi occurrat huic negotio idoneum & ſatis opportunũ,ipſum è manibus elabi non ſinã, ſed avidè arripiam.Hic ego iam in poſtremo ſermone(qui eò fortior eſſe ſolet,quia aures noviſſimè pulſat)Anglos noſtros quibus poſſum lacertis cõpello: Qui Iudaicæ plebi beneficiis acceptis,ſive numero, ſive precio ęſtimẽtur & adęquare ſe & anteponere poſſunt,vt gratuiti & immenſi Dei favoris non immemores,non in fide perſiſtant ſolùm,ſed pergant etiã, vt nova indies ad profeſſionẽ ſuã pietatis acceſſio fiat.Deus Paleſtinã,lacte,melle lana,auro,argento abundantẽ dedit, Angliã nobis multò rebus iſtis omnibus florentiorẽ & fœliciorẽ reſtituit: illam favore ſuo vt muro aheneo munivit & cinxit, frœnans & cohibens hoſtium belluinos impetus: noſtram hanc mœnibus igneis circumdedit,angelos vndiq; caſtrametãtes poſuit, mari potentẽ & terris reddidit: Illã templo tantum exteriori, & arca lignea beavit, noſtrã Eccleſia ſua & verbo pretioſo ditatã ſibi ſpoſpondit. Illi iactant Solomonẽ regẽ ſuum pacificum & prudentẽ: nos non iactamus, ſed Deo cõmendamus mitẽ noſtrã & clementem Principẽ Elizabetham, quam diutiſſime nobis conſervet Deus,matronã annis & pietate plenam,reginam omnibus bonis affluentem,dominã omni potentia in hoſtes Eccleſiæ inſtructã, vt quæ imperarit nobis in terris,tandem in cœlis vnà regnet cum ſanctis. Nos dignas nunquã ceſſemus pro tam amplis donis grates Deo perſolvere, nulla ille alia placatur hoſtia. Invigilemus hic omnes,ne ſicuti fœdus illud, à quo ſua perfidia exciderunt Iudæi, nobiſcum percuſſum ſit, à noſtris etiã oris hominum impietate repulſum ad veteres illas ſedes recurrat: Iſta nos deniq; cura exerceat, vt cum illis via adhuc in cœlos patere debeat, nos vna cum ipſis intremus, illi Iudæi ſint .i. verè Deo dilecti,nos etiã non deſiſtamus Iſraelitæ eſſe: Illi ſpiritualẽ ſuam Cananæam(cum Eccleſię accreverint) poſſideant, nobis etiam Paleſtina noſtra cum pace & Evangelio & adhuc diu (quod faxit Deus) incolatur. Ego autẽ fœlicia omnia nationi noſtrę cum pijs omnibus ſic precatus,cum Auguſtino concludo,ad lectorem me convertens,ſi quid in libro iſto veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum, at intelligendo & amando & tuum ſit & meum : ſi quid falſi cõviceris, enarrando fuerit meum ſed iam cavendo nec tuum fuerit nec meum : & Deo rurſus cum eodem patre humillimè ſupplicans deſino, quæcunq; dixi in hoc libro de tuo agnoſcant & tui, ſi quæ de meo, & tu ignoſce & tui.

Anglia noſtra nobis paleſtinæ loco eſſe debet.

Lib. 3. de Trin.

Lib. 15. de Trin.

# PIO LECTORI.

CVm nec ipſe præſens adeſſe poteram, & Typographus ad alia feſtinaret, cum noſtra iſta ſub prælum mitterentur, vtrunq; excuſet apud te (amice lector) iuſta defenſio ſua, illum aliarum rerum cura, me abſentia mea. Ne tibi porro graue (quæſo) videatur, inter legendum ſingula, vbi erratum fuerit, corrigere, quod nos hic priores fecimus. Nam vtcunq; nobis gratum eſt, quod iſta legere ſuſtinueris, geminatur iam beneficium, ſi vt lectorem benevolum, ita cenſorem facilem te præbeas. Iterum iam cum magiſtri mei verbis finem facio: videor mihi debitum huius operis reddidiſſe adiuvante Deo, quibus parum, vel quibus nimium eſt, mihi ignoſcant, quibus autem ſatis eſt, non mihi ſed Domino meum gratias congratulantes agant. Addo doctiſſimi etiam viri epilogum ad ſuum librum. Si quid dixi, quod placeat, habeat lector Deo gratiam propter me, ſi quod non placeat ignoſcat mihi propter Deum, & malè dictis det veniam propter benè dicta, errores verò ſi benignè emendarit & ſuſtulerit, demerebitur & me & lectores.

Auguſt. de civitat. Dei lib. 22. c. 30. Lodov. Viv. in eundem locum.

## Errata ergo ſic corrigito.

PAg. 1. lin. 16. lege cæcitas. p. 4. l. 10. proinde. p. 5. l. 5. mutuer. l. 27. Aſſyriæ. l. 30. loquuturas. p. 7. l. 1. Prophetis ſuis. p. 8. l. 13. adverterint. p. 9. l. 5. ſint, pro ſicut. lin. 18. ſparſim. l. 24. in margine, expectanda. p. 13. l. 8. imperij. p. 14. l. 19. iniuſſi. lin. 24. ad latus, falſum. p. 15. l. 27. infeſta. lin. 38. in vnum. lin. 39. agglomerantes ſe. p. 16. l. 15. nititur. lin. 25. alterum. p. 17. l. 16. afferamus. l. 32. cedet. p. 20. l. 4. dimittet. l. 28. diremit. p. 21. l. 5. ad latus, de aquis. l. 14. ad latus, viſionis. p. 21. l. 13. nuntia. p. 23. l. 21. præcurſore. p. 23. l. 1. aggrediamur. p. 25. l. 11. receptis. p. 26. l. 14. noſtrum. p. 27. l. 31. incautos. p. 29. l. 12. pertentent. p. 30. l. 2. in eius. lin. 10. hæc. lin. 25. querelam. lin. 31. electio autem invenit. p. 32. l. 31. fluctibus. l. 35. maſſam. p. 33. l. 15. obſtrinxerit. p. 34. l. 12. Zorobabelis. p. 35. l. 37. exitum. p. 36. l. 24. depravati. p. 38. lin. 14. opprobria. lin. 20. adhortante. p. 39. lin. 33. iudicium. p. 40. l. 11. affulſurum. p. 41. l. 5. pauci quidam. l. 25. metropolim. p. 42. l. 12. provocabit. l. 24. ad latus, vocentur. p. 44. Ægyptum. l. 14. & 26. l. 15. triginta. l. 23. Cirillus pro Grillus. p. 45. l. 7. Moguntina. l. 23. Chriſtiani, pro Iudæi. p. 46. lin. 25. colore dibapho. p. 47. l. 24. diſſimilis. l. 29. homuncio. p. 48. l. 15. obeſa. p. 51. l. 17. flacceſcat. p. 52. l. 4. ſui. p. 53. l. 9. naſcatur. l. 27. ita, pro iſta. l. 1. ad latus, afflictionis. p. 54. l. 14. ardere. l. 23. criminatio. p. 57. l. 5. epha. p. 58. l. 11. incuria, pro iniuria. p. 59. l. 21. inſectarentur. p. 60. l. 25. portio. p. 65. l. 4. Galilæis. p. 66. l. 7. Turciſmus. l. 24. Henochum. p. 68. l. 2. hic, pro ſic. p. 71. l. 4. ſolium. p. 73. lin. 21. aheneo. p. 74. l. 1. Iudæi ſint.

Pag. 8. lin. 13. ignoſco. p. 46. l. 21. malleos. p. 48. l. 13. quod. l. 29. Culperici. p. 45. l. 25. attonitos. p. 36. l. 28. prævisa. p. 60. lin. 12. ad latus, Ranulphus. p. 72. lin. 17. decernimus.

FINIS.

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York